

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CXLV. Christus Hierosolymae Appropinquans Ejus Excidium Cum
Lachrymis Praedicat.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

CAPUT CXLV.

CHRISTUS HIEROSOLYMÆ APPROPINQVANS EJUS EXCIDIUM CUM LACHRYMIS PRÆDICIT.

LUCÆ 19. v. 41.

RATIO ORDINIS.



Lucas, ordinis monstrator, triplici ratione seriem Historiæ hoc loco ostendit: Primò per particulam καὶ, quæ, ut sapè aliàs, ita quoque hic est περιπηχὴ, ordini demonstrando inseruiens. Ita præcedentibus commemoraverat lætos populi applausus, quibus Christus in hac regia processione exceptus fuerat, jam subjungit tristissimam Christi querelam, de stupenda Hierosolymitanorum cœcitate, & vaticinium, de gravissima eorundem calamitate suo tempore nimis certò secururâ. Deinde per verba ὡς ἤγγισεν. Quia enim post prophetiam de urbis excidio Christum statim deducit in templum, vers. quadragesimo quinto, cogitari poterat, in ipsa urbe Christum hasce lachrymas emisisse, & de ejus excidio vaticinium edidisse; ideo notanter addit, quod nondum fuerit urbem ingressus, sed ei duntaxat appropinquaverit: ex quo intelligitur, eam quæ apud Matthæum c. 21. v. 10. & Marcum c. 11. v. 11. habentur, quod, Christo Hierosolymam ingrediente, universa civitas commota fuerit, quodque templum ingressus vendentes & ementes ex eo eiecerit, esse huic Historiæ postponenda. Tertio per participium ἰδὼν. In præcedentibus dixerat Evangelista, totam discipulorum turbam lætis animis ac magnâ voce Deum laudasse, cum jam ap-

propinquaret Christus πρὸς τὴν κατὰ βόσφρον ἐλαιῶν, ad declivia montis oliveti, ad illū locum, ex quo à monte oliveti urbem versus descenditur. Jam verò descendentibus è monte oliveti, Occidentem versus, Hierosolyma proxima est, & tota in conspectu posita, ergo in ipsa illa κατὰ βόσφρον, ex qua urbs videri poterat, piæ hasce lachrymas emisit, quæ circumstantia loci ac temporis de multis utiliter nos admonere potest, ut in ipsa exegesi videbimus. Apud Joannem, post descriptionem Historiæ, quomodo quidam ex urbe cum palmis obviam Christo processerint, ac reliquis, qui cum Christo Bethaniâ venerant, intermixti honorificè cum publicis acclamationibus eum ad urbem deduxerint, subjungitur, quod Pharisei ex indignatione ad seipos dixerint: Videtis, quod nihil proficimus, ecce mundus post eum abit, quodque quidam proselyti ex Græcis sive gentilibus, qui religiosi cultus causa ad festum venerant, ad Philip-pum accesserint, dicentes: Volumus Jesum videre. Dubitari igitur potest, an extra urbem, in via intra Bethaniam & Hierosolymam; an verò in urbe, adeoque in ipso templo, hæc contigerint. Sed hæc de re in sequenti capite quædam dicemus, ostendentes, verisimilius esse, quod in templo isthæc omnia fuerint facta, ac proinde huic Historiæ de Christi fletu & vaticinio sint postponenda.

CHRISTI AMARISSIMÆ LACHRYMÆ, ET TRISTISSIMUM DE URBIS EXCIDIO VATICINIUM.

LUC. 19.

- 41. Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτήν,
- 42. Λέγων· ὅτι εἰ ἔγνωσας καὶ σὺ, καὶ γὰρ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἢ πεντή, καὶ πρὸς εἰρήνην ἢ· νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν ἢ.
- 43. Ὅτι ἤξειν ἡμέραι ὅπῃ σε, καὶ περιβαλέσιν οἱ ἐχθροί ἢ χαρᾶκα σοί, καὶ περιουκλώσασί σε, καὶ συνέξασί σε πάντοθεν·
- 44. Καὶ ἑδαφίξασί σε, καὶ ἑ τέκνα ἢ ἐν σοί· καὶ οὐκ ἀφήσασιν ἐν σοί λίθον ὅπῃ λίθῳ· αὐθ' ὡν οὐκ ἔγνωσεν καιρὸν ὃ ὀπισκοπῆς σε.

- 41. Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam,
- 42. Dicens: si cognovisses & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam (pertinent, curares:) nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis:
- 43. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & cingent te, & coangustabunt te undique:
- 44. Et solo æquabunt te, & filios tuos, qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quod non cognoveris tempus visitationis tue.

Exegesis hujus Historiæ.

2. Samuel. 15. v. 30. de Davide commemoratur, quod fugiens Absolonem filium suum immorigerum ascenderit cœvum montis olivarum,

scandens & stens, nudis pedibus incedens, & aperto capite; sed & omnis populus, qui erat cum eo, aperto capite ascendebat, plorans. Ecce, plus quam David hoc

flatum contemplabatur. Coram oculis externis Hierosolyma videbatur pulcherrima, sicut discipuli admirabundi paulò post Christo structuram templi ostendunt, dicentes: *Magister, aspice, quales lapides, & quales structure*, Matth. 24. vers. 1. Marc. 13. v. 2. sed Christus interiora ejus intuetur, videt, eam esse *sentinam omnium flagitiorum*, ut Egesippus lib. 4. cap. 6. eam describit. Videt, eam in necem sui conspirasse, & sanguinolenta consilia contra se meditari. Hoc innuit Evangelista, quando dicit, *ιδὼν τὴν πόλιν, visâ urbe*, videlicet ex vicino oliveti, ubi Græcus textus duplici nomine clarior est, tum quod *participio* certam notat personam, nempe Christum; tum quod *articulo* certam notat urbem videlicet Hierosolymam. Est autem observatio vel maximè dignum, quod Romani, eodem in loco, videlicet in monte oliveti, in prima urbis obsidione, castra ponere cœperint, in quo Christus prædixit ac deflevit visâ urbis excidium, ut constat ex Josepho lib. 6. de bell. Judaic. c. 3. *His, inquit, præceptum erat, sexto ab Hierosolymis stadio castra ponere, quâ in parte mons, qui appellatur ἐλαιὼν, contra civitatem ab Oriente situs, altaque interjacente valle discernitur, cui nomen est Cedron. Oleum misericordiæ signum est. Quod ergo Christus in monte oliveti lachrymas emittit, indicium est, ex serio & sincero commiserationis affectu eas profluere. Quia fons pietatis erat, Dionysius Carthusianus, lachrymas continere non poterat.*

2. *Circumstantia temporis.* Illam ostendit particula *καὶ* hanc Historiam cum præcedente connectens, ut & verba *ὡς ἤγγισεν*. Exposuerat hæc tunc Evangelista, quo animo fuerit populus erga Christum affectus, quomodo scilicet lætis vocibus & faustis acclamationibus ipsum, ut Regem & promissum Messiam, exceperit; jam porrò exponit, quo vicissim animo Christus fuerit erga populum affectus, quomodo scilicet calidissimis lachrymis ipsorum infortunium deploraverit. Christus hæc tunc ostenderat, se esse Regem, dum passus fuerat, regios honores sibi deferri; jam porrò demonstrat, se esse Sacerdotem & Prophetam. Sacerdotum enim est, ob peccata populi lugere & flere, Joel. 2. v. 17. *Inter vestibulum & altare, plorent Sacerdotes, ministri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo.* Prophetarum est, futura & ab hominum oculis adhuc abscondita prædicere, quorum utrumque Christus hoc loco præstat. Lucas, ex omnibus Evangelistis, Sacerdotium Christi vel maximè describit, unde in quadriga Evangelistarum imago vituli ipsi assignatur, apud Iren. lib. 3. c. 11. p. 186. idè etiam hanc Sacerdotalis officii partem annotare voluit. In præcedentibus dixerat Evangelista, totam populi multitudinem, lætâ voce, ob Messiam exhibitum, Deum laudasse, & ipsius regno fausta comprecatam esse, sic ergo, reliquis jubilantibus, ipse lachrymatur; dum turba depromit canticum, ipse assumit lamentum, quo ipso docere voluit, quod ipsius lachrymæ æternam lætitiâ nobis pariant. Dum ipse flet, alii palmas gestant, quia ejus fletus nobis peperit victoriam ab omnibus nostris hostibus, quâ de re paulò post plenius dicitur. In mediis honoribus & populi applausibus lachrymatur, ut ostendat, se humanis laudibus non ita delectari, quin salutem ho-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars. prim.

minum magis desideret & meditetur; suo Ecclesiæ ministros exemplo docens, quod laudes humanas studio promovendæ auditorum salutis longissimè postponere debeant. Singulari consilio tunc deflevit urbis excidium, quando publico populi applausu honorificè excipiebatur, ut majorem propheticæ suæ prædictioni fidem conciliaret. Si prius flevisset, & excidium prædixisset, quando cives Hierosolymitani ipsum persequerentur: vel si postea flevisset, quando ab illis captivus ducebatur, videri potuisset, non tam verè dixisse, quàm iracundè & comminatoriè, non ex studio salutis, sed ex cupiditate vindictæ. Quia verò in mediis honoribus, & applausibus populi, tam tristitia civitati cum lachrymis prædicit, & extremam calamitatem ei denunciat, cum maximo ab ea honore afficitur, ex eo manifestum omnibus evadit, non iracundo, sed libero & imperturbato animo ejusmodi prædixisse. Veteres huc accommodant dictum, Psalm. 137. v. 5. *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextra mea.* vers. 6. *Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.* Sed Psalmus ille continet planctum captivorum in Babylone.

3. *Affectus & gestus Christi*, quod scilicet visâ urbe fleverit. Holkot, lect. 88. in lib. Sapient. Christum septies flevisse, asserit: (1) *in nativitate*, quando primam vocem similem omnibus emisit plorans, Sap. 7. vers. 3. (2) *in circumcissione*, ex dolore, quod probare conatur ex Hebr. 2. vers. 17. (3) *in Hierosolyma civitatis compassione*, hoc loco. (4) *in Lazari resurrectione* (quod tamen hanc Historiam antegressa est,) Joh. 11. vers. 35. (5) *in Judæprodictione*, quod colligit ex Joh. 13. v. 21. (6) *in horto*, cum oraret, & sanguinem sudaret, Luc. 22. v. 44. (7) *in cruce*, Heb. 5. v. 7. Alii, quatuor vicibus Christum flevisse, dicunt: 1. in nativitate, unde Ecclesia de ipso canit: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia.* 2. in resurrectione Lazari. 3. hoc loco, visâ Hierosolymâ. 4. in cruce. Et hæc Christi lachrymas, quatuor vicibus profusas, dicunt, esse *quatuor flumina, de paradiso cordis Christi procedentia, universam Ecclesie terram irrigantia, tamque à sordibus peccati abluentia, & contra ardorem innatæ concupiscentiæ eam refrigerantia.* Sed Scriptura, tribus duntaxat vicibus, Christum lachrymas emisisse, expressè asserit, eâ igitur tacente, quis nostrum loqui præsumat? Flevit in funere Lazari, ut ostenderet, se se serio affici sensu nostrarum calamitatum, quod per peccatum mors, & omnia mala in mundum intrudunt. Flevit, oculos super Hierosolymam attollens, & quæ ei eventura erant, in luce divinæ suæ omniscientiæ certissime præno-scens, ut ostenderet, se peccatis nostris contristari. Flevit in cruce, prævidens, quod ob contemptum preciosissimi *λύτρου*, maxima hominum multitudo, infernales pœnas sit datura. Hoc loco potissimum expendendæ veniunt lachrymæ, quas ex compassione erga Hierosolymam profudit. In illis consideranda occurrit: 1) *persona plorantis dignitas.* Quando pueri vel mulieres lachrymantur, parum momenti obtinet, de mulieribus enim canit Poëta:

Ut flerent, oculos erudière suos.

Sed quando vir prudens, constans, fortis, magnanimus, &c. lachrymatur, illud singularem observationem meretur. Quanto majoris æstimandum, quod

sunt legari doloris, ait Cyprianus, lib. 2. epist. 7. sunt quasi sanguis vulnerati cordis. Quia ergo Christus in prædicatione excidii Hierosolymitani lachrymas emittit, eo ipso ostendit, sese & temporali & aeternæ Judæorum perditione minimè delectari, sicut Theoph. h. l. dicit, quod viscera misericordie suæ per stertum ostenderit. Quod ergo Deus verbo testatur, se nolle morte peccatoris, sed omnium conversionem & salutem seriò expetere, Ezech. 18. vers. 32. cap. 33. vers. 11. 1. Timoth. 2. vers. 4. 2. Petr. 3. vers. 8. liquefacta esse viscera sua ad commiserandum; Jerem. 31. vers. 20. inversum est cor suum, & exarsisse miserationes ipsius, Osee 11. v. 8. illud ipsum Christus lachrymis hinc confirmat, & quasi obsignat. Christus est imago Patris sui cœlestis, Coloss. 1. vers. 15. Hebr. 1. v. 3. est in sinu Patris, Johan. 1. versic. 18. ideo lachrymis hinc non suum tantum, sed etiam Patris sui erga pereuntes affectum testatur. Dei Natura est benefacere, lætabor super eis, ad benefaciendum eis, inquit, Jerem. 31. vers. 41. vita est in voluntate ejus, Psalm. 30. vers. 6. ideo tanto desiderio hominum conversionem expetit, ut eis benefacere possit. Psal. 81. vers. 14. O si populus meus audiret me, in viis meis ambularet. Esai. 48. vers. 18. Utinam attendisses mandata mea. Hoc salutis humanæ desiderium, hunc affectum in Deo esse serium, restantur non solum opera divinæ miserationis & clementiæ, sed etiam hæ ipsæ Christi lachrymæ. Refert Valerius Maximus, lib. 5. cap. 1. Memorab. quod M. Marcellus prius lachrymatus fuerit, antequam Syracusis in Sicilia expugnaret, unde Augustinus libr. 1. de Civit. Dei cap. 6. de ipso dicit, quod ante ejus sanguinem suas ille lachrymas effuderit: sed hanc benignitatem longissimè superat Christi *Φιλανθρωπία*, deplorantis eorum excidium & exitium, à quibus ignominiosissimam crucis mortem, post dies paucos, sibi irrogandam noverat. Nimirum imitatur Christus hac ratione fidos parentes, qui eo graviori dolore afficiuntur, quò propinquorem vident filiorum interitum, quem, præfacto omnium admonitionum contemtu, sibi ipsis accersunt. Gemit Christus tanquam pius parens, filii phœnecici stultam lætitiã, & delibramenta considerans, ut Granatenfis in expositione hujus textus loquitur: Quò enim magis ille rideat, hoc iste magis luget & gemit. Christus non cum flentibus, sed cum ridentibus flet, imò ideo ipse flet, quia illi ridet, & securi sunt, ea autem vehementioris fletus causa est, cum ridet, qui flere debebant. Sicut Medicus, videns deploratum ægroti morbum, quem ipse nec sentit nec curat, ex compassione luget & ingemiscit: sic Christus cœlestis Medicus, visitabat populum Israëliticum, sed quia morbum suum ille nec intelligebat nec curabat, ideo Christus eò acerbius lachrymatur. Opponamus ergo hasce lachrymas figmento de absoluto reprobationis decreto. Qui enim statuunt, Deum absoluto quodam odio & decreto maximam humani generis partem à se rejecisse, illi ex lachrymis Christi faciunt lachrymas crocodili, (de quo referunt Naturæ consulti, quod homini appropinquans lachrymas primum emittat, postea verò hominem devoret.) Sicque pessimam hypocrisis in Christo tribu-

unt, quod probè animadvertens Rudolphus Gualtherus, scriptor alioqui Calvinianus, homil. 176. in Luc. sic commentatur: Non fingamus nobis talem Deum, qui, ut sanguinarii Tyranni solent, hominum interitu delectetur. Quis enim hoc vel cogitet, qui Christum reprobe gentis, & ad omnem impietatem devota urbis, interitum lachrymis persecutum fuisse audit? Etenim, quem hic in illo videmus summae misericordie affectum, cum Deus Pater non raro in Scripturis exerit. Moses, Deut. 30. versic. 19. Esaias, cap. 1. versic. 2. caelum & terram in testes vocant, quod proposuerint populo Israëlítico vitam & mortem, quodque culpa interitus penes se minimè refideat. Christus lachrymas suas hoc loco in testimonium adducit, quod nihil quicquam ad salutem Judæorum pertinens prætermiserit. Excipiunt quidem absoluti decreti patroni, de temporali duntaxat interitu hic agi, atque eum tantummodo à Christo deplorari. At manifestum est, non temporalibus solum, sed etiam aeternis poenis ob impoenitentiam & incredulitatem suam affectos esse Judæos, propterea, quod tempus visitationis suæ agnoscere noluerint. Præterea, si Deus non delectatur simpliciter & absolute temporali hominum interitu, adeò ut Propheta dicat, Deum in correptione hominum alienum opus agere, Esai. 28. versic. 21. multò magis ab ipsius natura alienum erit, ex absoluto odio aeternis inferni poenis homines addicere. Si parens non posset sine commiseratione intueri filium immorigerum virgis cædi, quis crederet, eum cum gaudio videre posse, à carnifice eundem jugulari? Alii respondent, Christum, ut hominem, hinc loqui & agere. At, inquam ego, loquitur ut Dei Legatus, cui consilium Dei de salute hominum minimè erat ignotum. Num enim statuimus, ei, qui est in sinu Patris, & voluntatem ejus nobis enarravit, Johan. 1. vers. 18. ejusmodi decretum absolute reprobationis ignotum fuisse, si quod unquam in aeterno Trinitatis consilio fuisset factum, num credemus, voluntatem Christi humanam magis propensam fuisse in hominum salutem, quam Deum, qui est ipsa caritas? 1. Johan. 4. v. 8. num persuaderi nobis patiemur, eum, qui omnia nota fecit discipulis suis, Joh. 15. v. 15. primum illud ac summum salvationis & perditionis hominum principium, absolutum scilicet Dei eligentis & reprobantis decretum (si factum fuisset) ignorasse? 3) Sunt lachrymæ diligentis & amanti. Ostendunt enim quantâ caritate, quantâ benevolentia complexus fuerit civitatem ingratham & se persequentem, ut etiam inter lætas populi acclamationes, mala ei eventura prænosces, fuerit lachrymatus. Cum in funere Lazari Christus lachrymaretur, Judæi dicebant, Joh. 11. v. 35. Ecce, quomodo amabat eum. Pari ratione, quando hoc loco in funere civitatis Hierosolymitanæ Christum lachrymas emittere videmus, dicamus intra nos ipsos: Ecce, quomodo amabat eam? Joseph in conspectu fratrum suorum lachrymabatur, quia incallescabant miserationes ejus, Genes. 43. v. 30. sic & Christus in conspectu Hierosolymitanorum plorat, quia ex amore viscera ejus commovebantur. Lachrymæ hæc testantur de compassione, si enim Christus non fuisset commiseratione ta-

Et erga populum, nunquam tam acerbe fuisset lachrymatus, jam verò commiseratio est effectus & signum seriæ dilectionis. Summus gradus caritatis, suarum calamitatum & injuriarum oblivisci, illis autem, à quibus quis læditur, condolere, id Christus hoc loco præstat. Julius Cæsar, caput hostis sui Pompeji in bello interfecti videns, lachrymas effudit. Scipio Africanus, conflagrationem Carthaginis intuens, lachrymatus est. Hæc fuerunt indicia Heroicæ naturæ, quæ commiseratione erga alios tangitur, quanto magis de Christi lachrymis dicendum, quod sint indicium compassionis & caritatis. 4) Sunt lachrymæ orantis. Christus enim hisce lachrymis, tanquam reali quadam intercessione, spacium pœnitentiæ, ac pœnæ dilationem populo Judaico promeruit. Sicut in ara crucis, preces & supplicationes Patri cœlesti cum clamore valido & lachrymis obtulit, & exauditus est pro sua reverentia, Hebr. 5. versic. 7. ita & hoc loco lachrymis suis reconciliationem inter gentem peccatricem, & Deum iratum quærit. *Quid ulterius debuit facere vineæ suæ, hoc est, populo Israelitico? Esai. 5. versic. 4. ultra integrum triennium diligentissimè eam coluit, hic lachrymas pro ipsis fundit, mox sanguinem suum in ara crucis pro ipsis fundit, post resurrectionem Apostolos suos illis misit, tempus pœnitentiæ lachrymis suis eis impetravit, multos ex illis convertit, reliqui ergo suâ culpâ periére.* 5) Sunt lachrymæ medicantis. *Ex piissimis oculis, ait Dionys. Carthusianus, ad omnium expiationem peccatorum lachrymarum fluent a uberrimè manando effudit. Quemadmodum factus est pauper, ut nos faceret divites, 2. Cor. 8. versic. 9. quemadmodum propter nos contristatus est, ut æternam nobis pararet latitiam, sicut mortuus est, ut vitam nobis repararet, ita quoque lachrymas profudit, ut lachrymarum absterionem, in futura vita expectandam, nobis promereretur, Esai. 25. versic. 8. Apocal. 7. versic. 17. cap. 21. versic. 4.*

*Ille suis lachrymis divino ex corde profectis,
Æternæ peperit risus & gaudia vitæ.*

Athanas. de human. Natur. contra Apollinar. p. 131. *illius fletus nostra est læticia.* Nazianzen. orat. 1. de Filio, p. 136. *Christus lachrymatur, sed idem lachrymas sistit.* Elias Cretens. in com. dicit, Christum ideo esse lachrymatum, ut proclivium ad lamentationes ac ploratus nimiam mastritiam corrigeret, ac lachrymas nostras comperceret, quæ ex peccati fumo sunt ortæ. Qui hic lachrymatur, non est nudus homo, sed *θεῖος ἄνθρωπος*, inde ergo lachrymæ ejus sunt meritoria ac satisfactoria, sicut sanguis ejus inde atque ideo peccata nostra abluere potuit, quia est ipsius Filii Dei sanguis, 1. Joh. 1. versic. 7. De lachrymis viduarum dicitur, Sirac. 35. v. 19. *quod à maxilla ascendant usque ad caelum, & quod Dominus exauditor deleatetur in illis, quanto magis de Christo lachrymis hoc statui debet, quod ad thronum Dei ascenderint, & cœlestia beneficia nobis impetraverint? Psalm. 126. versic. 5. lachrymæ piorum comparantur femini, ex quo crescit messis lætitiæ, quanto magis Christi lachrymæ proferent nobis amplissimam æternæ lætitiæ messem?* 6) Sunt lachrymæ invitantis, ut ipsi quoque lachrymas profundamus. Basil. sermon. de gratis Deo agendis, tom. 1.

Psal. 362. Christi fletum vocat *instruptionem*. Augustin. tract. 49. *Quare flevit, nisi quia flere hominem docuit.* Requirit Apostolus, Rom. 12. versic. 15. *ut cum fletibus etiam nos fleamus*, quanto æquius est, ut cum Christo flente etiam lachrymas emitamus? Joh. 11. versic. 33. cum videret Jesus Mariam plorantem, etiam ipse lachrymatus est, versic. 35. cur non & nos, quando Christum lachrymari videmus, flere cum ipso velimus? *Audit Deus fletus nostros*, Psalm. 6. versic. 9. audiamus & nos vocem fletus Christi. *Vidi lachrymas tuas*, ait Dominus ad Ezechiam, Esai. 38. versic. 5. aspiciamus & nos Christi lachrymas, ut per illas etiam ex nostro corde & oculis lachrymæ proluciantur. Hortantur enim nos Christi lachrymæ. (1) *ad pœnitentiam. Convertimini ad Dominum*, inquit Propheta, Joel. 2. versic. 12. *in fletu & in planctu.* Cum Angelus Domini exprobraret Israelitis, quod non obediissent voci divinæ, *incipiunt lachrymari*, Judic. 2. versic. 4. cum peccatrix seriam ageret pœnitentiam, tam largiter effundit lachrymas, ut *pedes Christi rigaret*, Luc. 7. versic. 44. *Quod si ergo & nos in vera pœnitentia lachrymas profundimus, dum debito modo cum Christo ploramus, & pedes ejus rigamus.* Petrus, cum ex Christi intuitu pœnitentiam in corde conciperet, *egressus foras flevit amare*, Matth. 26. versic. 75. *Quos Christus plorans aspicit, & qui ipsum plorantem aspiciunt, illi peccata sua deplorant.* Esai. 33. versic. 7. exprobratur Israelitis, quod non attenderint, *Angelos pacis amare flere.* Caveamus, ne nobis exprobreter, quod non attenderimus, *Angelum magni consilii* (ut vocatur in Græca versione) Esai. 9. v. 6. *Angelum fœderis.* Malach. 3. versic. 1. Angelorum omnium Dominum flere, & nos cum illo nolle lachrymas effundere. Flevit Christus propter peccata aliena, quanto magis convenit, ut fleamus propter peccata propria? Flevit ille, qui separatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. nullam in se plorandi materiam habuit, quanto magis nobis, ut ploremus, incumbit, qui in nobis habemus materiam lachrymarum, peccata scilicet, quibus Deum offendimus? Accusant Christi lachrymæ nostram duritiam & impœnitentiam, quod ipso lachrymante nos securè vivimus. Hilarius in Psalm. 67. *Christus infidelitatem generis humani lugebat.* Bernh. Ser. 3. in die natal. col. 57. *Lachrymæ Christi pudorem mihi pariunt & dolorem.* Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. *Audit hoc unigenitus ejus, exiit, posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quod morti damnatus esset servulus illius, &c.* Nimirum Christus plorans, rem magno fletu dignam, docuit, esse peccata nostra, quæ adversus divinam majestatem committuntur, & in ruinam animarum & corporum terminantur, non enim urbis casum & domorum everisionem, sed peccatum incolarum, quod est averio à summo bono, lachrymis suis deploravit. *Suadeo tibi*, inquit Christus, Apocal. 3. versic. 18. *ut collyrio inungas oculos tuos, ut videas.* Hoc collyrium sunt lachrymæ Christi, illis enim abstergitur caligo oculorum nostrorum, ut peccata nostra agnoscamus, eademque defleamus. *Vidit Christus civitatem, & flevit.* Quia vidit, flevit, nos quia non videmus, ideo etiam

etiam non flemus. Si videremus nostræ civitatis, hoc est, animæ nostræ mala, utique etiam lachrymas funderemus. Idem instrumentum videnti & flendi, qui clausos gerit oculos per obstinam cœcitatē, ille nec videt, nec lachrymatur. David, antequam oculi ejus ad agnoscendum peccatum aperirentur, non flebat: sed visionem sive peccati agnitionem mox sequebatur fletus. Infans utero conclusus nondum plorat, sed quamprimum lucem aspicit, *vocem fletus emit*, Sap. 7. vers. 3. Qui versantur adhuc in utero *ignorantia*, ut loquitur Tertullianus in Apoleget. cap. 39. necdum spiritualiter sunt illuminati, illi non desunt mala sua, quæ ignorant. *Si scires*, ait Christus ad Hierosolimam, utique mecum fletes. Si & nos sciremus, hoc est, si expendere mortem, quæ nihil terribilius; judicium, quo nihil horribilius; infernum, quo nihil intolerabilius, utique etiam in tempore pœnitentiæ & gratiæ ploraremus. Guttæ pluviales saxa excavare possunt; utinam etiam Christi lachrymæ lapidea nostra corda ad pœnitentiam liquefacerent! Si guttæ lachrymosæ nostra corda non possunt emollire & convertere, emolliant guttæ sanguinæ. Qui enim ex desiderio salutis nostræ lachrymas ex oculis hic effundit, is paulò post sanguineum sudorem propter salutem nostram emittet, ac toto corpore quasi plorabit, imò & rivus sanguinis in passione emitter. Ne fortè existimes, Christum tantum propter Israëlitas plorasse, ideo in passione sanguinem effudit pro toto genere humano. Propter quam causam sanguinem effudit, propter eandem etiam lachrymas hic effudit, videlicet, ut à peccatorum nostrorum sordibus nos ablueret, utque eas Deo in sacrificium propitiatorum offerret, Hebr. 5. vers. 7. Impe-travit ergo hisce lachrymis nobis cum Deo reconciliationem, peccatorum condonationem, pœnæ relaxationem, vitæ aternæ possessionem. Sed horum beneficiorum non possumus fieri participes sine verâ & seria pœnitentia. Quod si ergo lachrymæ Christi prodesse nobis debent, necessarium est, ut lachrymas pœnitentiæ fundamus, interim tamen cum lachrymis hisce contritionis conjuncta debet esse fiducialis Christi apprehensio, sicut pulcherrimè dicit Ambrosius in cap. 24. Luc. tom. 5. p. 167. *Non lachrymas nudas Deus exigit, sed fidem. Bonæ sunt lachrymæ, si Christum agnosceas.* Qui verò lachrymis Christi non permoveri sese patiuntur ad agendam pœnitentiam, illi lachrymas Christi in testimonium justæ condemnationis contra se provocant. Sanè Christus hoc tempore non amplius lachrymas emittit, quia in cœlestem illum statum est evedtus, in quo omnis fletus cessat, & omnis lachryma ab oculis beatorum abstergitur; interim non potest non ad justissimam iram commoveri, quando se, cum in terris versaretur, frustra propter nos flevisse, imò sanguinem suum frustra profudisse, animadvertit. Damnatos nihil quicquam gravius cruciabit, quàm cogitatio illa, quod has lachrymas Christi contemserint, iisque ad pœnitentiam emollii non fuerint. Hæc meditemur, ut in tempore ex vera pœnitentia ploremus, ne sine fine & fructu in aeternum plorare cogamur.

Quando aqua quæritur in locis aridis, tunc profundè fodimus, ut aquam inveniamus: quod si & hanc aquam, lachrymas scilicet pœnitentiæ invenire expetis, si lachrymas compunctionis desideras, profundè meditare peccatorum tuorum fœditatem, iræ divinæ gravitatem, mortis propinquitatem, judicii divini severitatem, suppliciorum infernalium aternitatem, &c. ut sic in fundo cordis tui lachrymas pœnitentiæ invenias. Cogita quæso, quam grave & intolerabile futurum sit gehennæ supplicium, cum temporale Hierosolymæ excidium, in Spiritu Prophetico prævisum, Christo lachrymas excusserit, quod aeterno damnatorum supplicio incomparabiliter est inferius, imò ejus duntaxat quædam umbra & *παράδειγμα*, sicut Petrus, subversionem Sodomæ & Gomorræ factam, testatur, *in exemplum aeterni supplicii* impœnitentibus parati, 2. Ep. 2. vers. 6. Sed, quemadmodum Philistæi obstruebant puteos, quos Abrahamus foderat, Gen. 26. vers. 18. ita quoque, si fidelis Abrahamæ filius per seriam compunctionem ejusmodi puteum fodit, ex quo lachrymæ pœnitentiæ promanant, statim adsunt infernales Philistæi, ac terram superingerunt, hoc est, terrenis & carnalibus cogitationibus fontem illum lachrymarum obstruere satagunt, tu verò cum Isaaco puteos illos repurga. (2) ad *συμπαθήσας & condolentiam*. Non tantum profundere debemus *lachrymas pœnitentiæ*, *Dυσθήρεν* / sed etiam *lachrymas condolentiæ*, *Λιβεθήρεν*. Christus non delectatur Judæorum interitu, sed ex serio compassionis affectu lachrymas profundit. *Idem affectus etiam sit in nobis*, Phil. 2. vers. 5. ut cum flentibus flere discamus. Qui Spiritum Christi habet, eundem etiam cum Christo affectum induit. Damnant hæc lachrymæ Christi Stoicam *ἀπαθήσας*, & diabolicam *ἐπιχαρηναισίαν*, quæ à quovis vero Christi discipulo abesse debet quam longissimè. Ut Christus non delectatur hominum malis, ita quoque vera Christi membra non delectantur proximi malis, sed potius sincere condolent, 1. Cor. 12. vers. 26. Col. 3. v. 12. Probè autem expende, quæ sint illa proximi mala, propter quæ exemplo Christi flendum & condolendum. Ploras, si vides proximum pauperem, agrotantem, morientem. Non omninò improbatur hæc *συμπαθήσας*, sed longè justiore plorandi causam habes, si vides, eum coram Deo esse *miserum, & miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum*, Apocal. 3. vers. 17. si eum vides *in peccatis jacere mortuum*, Eph. 2. vers. 1. Hæc mala spiritualia verè digna sunt lachrymis, imò majora sunt lachrymis. Transferamus ad nos Christi exemplum, ne cœcitatē & perditionem proximi siccis oculis intueamur, sed interitum impiorum magis deploremus, quàm mala, quæ nobis ab illis inferuntur, quippe cum sibi ipsi plus noceant, aternas pœnas sibi attrahendo, quàm nobis temporalia & transitoria damna inferendo. (3) ad *terrenorum desipientiam*. Christus in mediis honoribus & populi favoribus lachrymas emittit, quia futura Judæorum mala ob oculos sibi ponit. Discamus & nos, exemplo Christi, in mediis honoribus, dignitatibus, conviviis, mundi delitiis, & triumphis futurorum malorum meminisse. Diabolus vino mundanæ lætitiæ & tem-
pora-

poralis gloriæ homines dementat, ne futura mala intueantur & expendant, sicut ebrii lætantur, pericula minimè curantes. Sed temperemus vinum lætitiæ mundanæ aquâ lachrymarum Christi, ne ex mentis statu nos dimoveat, Sir. 11. vers. 27. *in die bonorum ne sis immemor malorum.* (4) *ad fervorem & diligentiam.* Christus tribus vicibus lachrymas emisisse legitur. Primò cum excitaret Lazarum. Secundo hoc loco cum Hierosolymæ prædiceret interitum. Tertio, quando in cruce preces & supplicationes cum clamore valido & lachrymis Patri suo obtulit, Hebr. 5. versic. 7. In primo administravit officium suum Regium, quia mortuos excitare, est opus divinæ potentiæ, & regii officii. In secundo, Propheticum, quia voluit hac lachrymosâ prædicatione Judæos ad poenitentiam vocare. In tertio, Sacerdotale, quia sacrificare pertinet ad munus Sacerdotis. Demonstravit igitur his lachrymis, quanto fervore & diligentia officium suum administraverit. Preces suas lachrymis miscuit, quo ipso docere nos voluit, quanto fervore etiam nostrum debeamus facere officium, ac quanto spiritus fervore nobis sit orandum. Act. 20. vers. 31. dicit Apostolus: *Per triennium nocte & die non cessavi, cum lachrymis monere unumquemque vestrum.* & versic. 19. *Scitis, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate & multis lachrymis.* 2. Corinth. 2. versic. 4. *Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas.* Hic erat spiritus Christi, hic erat spiritus verè Apostolicus, quem in se etiam expriment Ecclesiæ ministri, pro deploratis auditoribus lachrymas fundendo, ac pro eorum salute Deum deprecando. Utinam sæpius recordaremur lachrymarum Christi, næ ardentiores essemus in precibus & laboribus nostræ vocationis! (5) *ad patientiam.* Sicut Christus hoc loco lachrymatur, ita vera & viva ipsius membra in hoc mundo sæpe coguntur lachrymas effundere, das sind die Creutzthrenen / de quibus Pfaltes dicit, Psal. 42. versic. 4. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, die ac nocte.* Psal. 80. versic. 6. *cibus eos pane lachrymarum, & potas eos lachrymis copiosè.* Quando eandem experimur fortunam, recordemur lachrymarum Christi. Christus in lachrymis, & tu in delictis? Christus in fletu, tu in risu? non convenit, membrum delictari sub capite lugente & lachrymante. Recordemur etiam secururæ lætitiæ. Ut enim Christus post hasce lachrymas, brevi tempore durantes, ad æternam pervenit lætitiæ: sic credentes in ipsum ex lachrymarum valle in campum lætitiæ transferentur, Psal. 116. versic. 8. *eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.* Psal. 126. versic. 5. *Qui seminant in lachrymis, cum jubilatione metent.* versic. 6. *Euntes ibant & flebant portantes preciosum semen.* versic. 7. *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Hi manipuli sunt multiplicia vitæ æternæ gaudia & juba. Tunc implebitur, quod prædictum, Esai. 25. versic. 8. Apocal. 7. versic. 17. cap. 21. versic. 4. *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* O sancta & felices lachrymæ, quas tam benignissima manus absterget! Sed si abstergendæ sunt illæ lachrymæ, oportet eas in hac vita ex oculis

profluere. Si non vis cum CHRISTO lachrymari, quid abstergere poterit DEUS in vita æterna?

Nascimur in lachrymis, lachrymis quoque vita madescit,

Et vitam rursus linguimus in lachrymis.

Omnes hominum lachrymas! absterget at omnes

Omnibus electis ipse Deus lachrymas.

De his omnibus admonent nos Christi lachrymæ, quas meritò vocare possumus: (1. *preciosas.* Qui enim eas profundit, est ipse Dei Filius, ipsa beatitudo, ipsa lætitia, utique ergo magni precii ac valoris lachrymas hasce esse oportet. (2. *dolorosas,* quia serium suum dolorem de temporali & æterno Judæorum interitu iisdem testatur. Quando parens morti vicinus videt lectulo suo astare filium immorigerum, qui hætenus ipsi fuit *amaritudo Spiritus*, Genes. 26. vers. 35. quam amaras profundit lachrymas? Judæi erant immorigeri filii, inde Christus, morti vicinus, eorum malitiam deplorat. Cum Absolon in ilice pendens, pœnas suæ inobedienciæ & concitatæ seditionis penderet, quàm acerbè plorabat David, 2. Sam. 18. vers. 33. nimirum, quia non solum temporalem, sed etiam æternam ejus mortem deplorabat. Sic & Christus acerbis lachrymis deplorat interitum temporalem & æternum populi Judæici, qui vocatur *Filius Dei primogenitus*, Exod. 4. versic. 22. (3. *amarosus,* quia erant testes sinceræ compassionis & seriæ dilectionis erga ingratam urbem. (4. *ominosus,* quia hæ lachrymæ pronunciarunt populo finalem interitum. Cum tempus poenitentia præmitterent, prefferunt illos hæ lachrymæ usque ad ultimam internecionem, imò usque in infernum. Quanto preciosiores fuerunt Christi lachrymæ in conspectu Dei, tanto gravitius iratus fuit Deus populo Judaico, quod eas floccifaceret. De gemitibus Ministrorum Ecclesiæ dicitur, Hebr. 13. versic. 17. quod auditoribus illi *non expediant*: quanto magis de Christi lachrymis dici potest, quod repudiata & contempta à Judæis, pœnam eorum aggravarent? Caveamus igitur, ne lachrymis Christi ad securitatem fovendam abutamur. Flevit Christus, sed postea supplicium ab ingratis & impiis Judæis sumsit. Quod lachrymatus est, fuit miserationis & compassionis; sed misericordia illa non sustulit in ipso vindicem justitiam. Nemo igitur nostrum ex Dei ac Christi misericordia peccandi occasioneumat, sed recipiamus oblatam misericordiam, ne aliquando vindicem experiamur severam justitiam. Sicut Christus ex monte Oliveti descendens, obtulit urbi lachrymas suas, & in lachrymis, divinam gratiam, reconciliationem & vitam æternam: ita adhuc hodie offert nobis pacem & gratiam, offert lachrymas suas in poculum lætitiæ, si eas repudiamus, pessimi ominis loco hoc erit futurum. (5. *fructuosas.* Hæ enim Christi lachrymæ sunt. 1. testimonium dilectionis. 2. incitamentum conversionis. 3. causa nostræ exultationis. 4. solatium nostræ tribulationis. 5. documentum compassionis.

II. In posteriore hujus pericopes parte proponitur excidii Hierosolymitani prædictio. Christus enim non solum lachrymis, sed etiam verbis admodum patheticis dolorem suum ex præviso urbis interitu conceptum exprimit, *stetit super urbem, dicens: Si cognovisses & tu, &c.* In hoc lamentabili Christi sermone tria proponuntur:

I. *Stupenda cæcitate deploratio.* ὅτι εἰ ἐγνώσκεις καὶ σὺ καὶ γὰρ ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, εἰ ὡς εἰρήνη σου. ὡν δὲ ἐξέρχεται ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. Particula ὅτι, ex idiomate Græci sermonis, & usitato Lucæ pleonasmō, asseverandi causā apponitur, ac mimelū servit, præmitti enim consuevit sententiæ, quæ ab aliquo dicta recitatur, ut sit particula *enarrativa & expletiva*, ac proinde in versione Latina omittenda. Pronomen σὺ respicit ad urbem Hierosolymam, quam Christus per *ἁποστασίου* quendam alloquitur, cives ejus *παρανομίας* intelligens, sicut etiam in dicto Prophetico, à Matthæo in præcedentibus adducto, per *filiam Sion, & filiam Hierusalem*, incolæ urbis illius intelliguntur, quædam tamen in hac prædictione propriè conveniunt ipsi structuræ urbis, utpote, quod hostes eam *solo æquaturi sint, nec relicturni lapidem super lapidem*; quædam incolis tantum conveniunt, utpote, quod *cognoscere debeant, quæ ad pacem ipsorum pertinent, quod ea sint abscondita ab eorum oculis, quod non cognoverint tempus visitationis suæ*; quædam conjunctim, & urbi, & incolis ejus sive civibus conveniunt, utpote, quod *hostes eam circumdabunt vallo, & cingent eam undique, ex quo apparet, singulari consilio urbem à CHRISTO compelli, quippe cujus nomine non solum structuræ, sed etiam cives continentur.* Verba illa, εἰ ἐγνώσκεις καὶ σὺ, &c. variis modis ab Interpretibus exponuntur. Quidam existimant, in sermone CHRISTI nihil deficere, vel subintelligendum esse, quidam verò, orationem esse defectivam, & aliunde supplendam, asserunt. Priores particulam εἰ exponunt in sensu optandi: *O si scires, vel utinam scires!* ut sic εἰ positum sit pro *εἴθε εὐχριστῶς* optativè. 1) quia in Græco sermone hoc non est omnino insolens atque inusitatum. Odyss. γ. εἰ γὰρ ἐπέοι ποσσὶν δὲ θεῶν δύναμιν παραδείξαι. Lucian. in Caucafo. εἰ γὰρ γένοιτο ταῦτα. Hoc sensu etiam à Septuaginta Interpretibus usurpatur pro ἦ, Jof. 7. v. 7. εἰ κατασκευάσμεν, *utinam mansissetis!* Job. 6. v. 2. εἰ τις ἰσὺν ἐπιστοῦ, *utinam appendendo appenderetur!* cap. 16. v. 4. εἰ ὑπὸ νεφέῃ: ubi Aquila reddidit ὀφείδω, *utinam esset anima vestra pro mea!* Sic etiam in versione Latina, Psal. 81. v. 14. *Si populus meus audiret me, hoc est, utinam me audiret!* Psal. 139. v. 19. *Si occideres peccatores, hoc est, utinam occideres!* 2) Syrus habet particulam ἦ, quæ descendit ab Hebræo ἦ. 3) hac ratione nullo opus erit supplemento, ad quod non nisi extremâ necessitate coacti descendere debemus. Si enim pro lubitu Scripturæ aliquid inferre, & sententiam complere velimus, nihil certi relinquetur. Si licet verba foris accersere, quem locum non licebit hæreticis depravare? 4) Hieronymus in comment. Esai. 29. vers. 59. item, Mich. 2. & Theophylactus, in cap. 19. Lucæ ita exponunt, citantes enim hunc locum, nihil adjiciunt, quo sententiam compleant, quos hac in parte sequuntur Cajetanus & Jansenius. Posteriores ellipticam orationem esse statuunt, & particulam εἰ ad subjunctivum modum referunt. (1) quia apud Ev-

angelistas & Apostolos inusitatum est, εἰ usurpare pro *utinam.* (2) quia proponitur hic pathetica exclamatio, depromta ex intimo pectore tanto affectus impetu, ut dolor vocem præcludat, & verba interrumpat, testatur enim experientia, eos, in quibus ardent vehementes affectus, non nisi dimidiâ ex parte animi sensu profari. Confirmatur hæc ratio ex eo, quod duo affectus hic sint permixti, neq; enim tantum miseratur Christus extremum urbis excidium, sed etiam indignatur ob detestandam ejus ingratitude, & exprobrat ingrato populo suam contumaciam, quod oblatam gratiam & salutem tam supinâ cæcitate, ac voluntariâ insaniâ ignoret, unde Budæus in prioribus annotationibus in Pandectas scribit: *hanc esse orationem defectivam, hominis, partim commiserantis interitum, partim inauditam perfidiam ac contumaciam exprobrantis. Defectivus est sermo, ait Euthymius, in Comment. consueverunt enim stentes verba præ affectus vehementiâ abrumpere.* Sed quomodo complenda sit pathetica illa & interrupta oratio, de eo iterum variant sententiæ. Quidam triplicem defectum ac proinde etiam tria supplenda hic esse statuunt, utpote: primo *personam agentem*, cum qua fiat comparatio. Nam, cum dicit, καὶ σὺ, etiam tu, aliquam tacitè personam indicat, quæ cognoscat, quod Hierosolymam ignorare significat, ac cujus exemplo eam scire velit illud, quod ignorabat. Hanc personam quidam statuunt turbam acclamantem. *Si scires & tu*, id est, vos cives Hierosolymitani, præsertim vos Proceres, quemadmodum hæc turba, quæ maximâ ex parte constat ex peregrinis, qui religionis causâ ad festum venerunt, illud novit. Quidam intelligunt de reliquis Judææ urbibus. *Si scires & tu*, quæ es Judææ metropolis ac aliis bono exemplo prælucere, & Messiam advenientem promptè excipere debebas, quemadmodum hoc alia urbes cognoverunt. Quidam indeterminatè accipiunt de urbibus per pœnitentiæ concionem ad Deum converfis. Agnoverunt alia urbes futura sua mala, ut Ninive, utinam & tu agnosceres! Gregorius homil. 39. in Evang. & Beda in Luc. c. 19. ad ipsum Christum & ipsius discipulos referunt. *Si cognovisses & tu*, quod ego cognosco & intueor, quod etiam quidam discipulorum meorum, contribules vestri, cognoscunt, utiq; etiam mecum fleres. Sed nulla urgemur necessitate, ut personam aliquam hoc loco subaudiamus. Particula enim καὶ, hoc loco non est copulativa, sed ponitur pro *saltem*, hoc sensu: *Si vel tu*, quæ Judææ metropolis es, ac cœleste quoddam in terris sacrarium, *cognosceres*, si tu saltem scires, quæ ad pacem tuam pertinent, &c. Non enim hoc deplorat Christus, quod Hierosolyma ipsum pro Messia non recipisset, quod ne ipsa quidem Messiam & Regem suum agnosceret, præ reliquis in universum urbibus sibi quasi propriè & peculiariter destinatum, ut ex dicto Prophetico Zachariæ conspicuum, unde futurum prædicit, ut repudiati Messia & verbi ejus graviores sustineat pœnas, quàm reliquæ urbes, quâvis Galilææ civitatibus, Capernaum, Chorazin & Bethsaida non multum dissimilia prænunciet, Matt. 11. 21. & 23. Adde, quod Syrus particulam illam & non exprimat, quæ tamè non destituitur sua emphasi. Alterum supplementum necessariū statuunt

in verbo *ἔγνων*. Nam verbum illud *cognovisses*, aliquem accusandi casum postulare videtur, qui in tota oratione non apparet. Oritur hæc defectus suspicio ex eo, quod post verbum *ἔγνων* perfectam distinctionem faciunt, & sequentia verba: *καὶ γὰρ ἐν τῇ ἡμέρᾳ σὺ ταῦτην, τὰ ἄσπερ εἰρήνην σὺ*, non ad antecedens, sed consequens sententiæ referunt, hoc sensu: *Si scires*, sc. mala tibi imminencia; *vel hoc die tuo ea, quæ ad pacem tuam pertinent*, curares, dares operam pertinentibus ad salutem tuam, &c. Sed hoc non videtur satis coherere cum eo, quod sequitur: *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*. Repetit enim Christus, quod dixerat, *si cognovisses*, indicans, scilicet eos non agnoscere tempus salutis suæ. Quidam ergo nec hic agnoscunt ullum sententiæ defectum, quia τὰ ἄσπερ εἰρήνην referunt ad verbum *ἔγνων*, ac totam Christi sententiæ antecedentis tantum loco habent, ita ut consequens aliquod subintelligatur, hoc sensu: *Si cognovisses vel hoc die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent*, subintellige, ea non negligeres, sed cupidissimè complectereris. Ita exponunt Cyrillus & Theodoretus in Comm. Esa. 29. Hesy chius in Epist. ad Augustinum, quæ est inter Epistolas Augustini 79. & Augustinus ipse in sequente Epistola 80. Theophylactus & Euthymius in cap. 19. Luc. sic enim locum reddunt: *Si scires, quæ tibi ad pacem sunt*, h. e. si cognovisses occasionem, quæ tibi nunc offertur, pacem & felicitatem tibi comparandi, dum hoc ipso die me promissum Messiam & Salvatorem præsentem habes, tibi ipsi non desisses, promptè me susciperes, longè aliter te gereres, me non rejiceres, nec ad internecionem quaerereres, sed in me crederes. Quod si cognitio non nuda intelligatur, sed cum approbatione conjuncta, hoc sensu: *si nosset, quæ ad pacem tuam faciunt*, ita ut ea amplectereris, subaudiendum foret, quod Euthymius habet: *nequaquam perires*, vel felix ac beata esses. Tertium igitur & solum quidem necessarium supplementum requirit particula *ei*, illa enim exigit verbum aliquod, ubi quodammodo quiescat. Nam si τὰ ἄσπερ εἰρήνην referatur ad verbum *ἔγνων*, pendet adhuc oratio, & consequens aliquod subintelligendum sensu modo exposito. *Si cognovisses, quæ ad pacem tuam faciunt*, quaerereres ea, curares ea amplecti, vel etiam imminencia mala declinares, summa bona tibi comparares, vel simile quiddam antecedenti aptè respondens. Quod additur: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*; illud Lyr. sic intelligit, *fleres utique etiam in hac die tua, quæ est tibi ad pacem*, id est, in hoc tempore, in quo DEO permittente adhuc prosperè & feliciter vivis. Sed relativum *quæ*, non potest referri ad diem, cum in Græco sit pluralis numeri, τὰ ἄσπερ εἰρήνην, subaudiendum igitur verbum plurale, quæ ad pacem tuam pertinent, vel faciunt. Maldonatus, ut Lyrani expositionem stabiliat, suspicatur, legendum esse τῇ ἡμέρᾳ εἰρήνην, ut relativum *quæ* ad diem referri possit, hoc sensu: *Si cognovisses mala tibi imminencia, etiam in hac die, quæ ad pacem tibi scilicet est, quæ tantâ pace & securitate fruereis, fleres utiq;*, sicut ego fleo. Huic expositioni suæ mirificè applaudit, eamque ex eo probare nititur, quod, quemadmodum particula *quæ* planè in se Christi comparationem continet, si cognovisses & tu, sicut ego: ita dicitur illa si omnino postulare videtur, ut intelligatur, faceres, quod ego facio, fleres, sicut ego fleo. Deinde

verba illa, & quidem in hac die tua, manifestum est, esse emphatica, perit autem omnis emphasis, si verbum cognovisses, ad pacem referatur, elucet, si ad mala imminencia referatur. Denique verba, quæ sequuntur, quia venient dies, nullo modo cum ea interpretatione coherere possunt. Sed Græci Codices omnes constanter legunt: *τὰ ἄσπερ εἰρήνην*, atque ita reddidit etiam Syrus interpretes, traiectione quadam verborum usus: *O si scires*, sive cognovisses hæc, quæ sunt pacis tuæ saltem in hoc die tuo. Temerarium igitur foret, sine ulla necessitate textum authenticum mutare, neque id efficaciter probant rationes adductæ, quibus, quid roboris insit, ex dictis patet, & ex sequentibus clariùs elucescet. Gregorius statuit hunc esse sensum: *Et quidem in hac die tua habes ea, quæ ad pacem tuam pertinent*, id est, in labili hoc tempore, quod tibi, non divino honori impendis, tradis te carnis voluptatibus, ac bonis præsentibus ad felicitatem terrenam abuteris, cujus rationem reddi arbitratur, quando additur: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*. Si enim, inquit, cordis ejus oculis mala, quæ imminebant, abscondita non essent, leta in præsentibus prosperis non fuisset. Sed hunc si sensum Dominus significare voluisset, dicendum fuerat: *Et quidem in hac die tua habes ea, quæ ad pacem tuam pertinent, quia abscondita nunc sunt mala ab oculis tuis*. Jam verò non dicit, quia abscondita sunt, sed nunc autem abscondita, quæ adversativa non convenit isti sensui. Simplicissimam igitur judicamus expositionem, quæ vel in sensu optativo, sine ulla defectus suspicione verba Christi accipit, ut superius monuimus; vel, quæ subintelligit verbum *expenderes*, sive curares, sine ullo alio supplemento, hoc sensu: Si vel tu scires, etiam hoc die tuo cogitares, quæ ad pacem tuam. Particulam *καὶ γὰρ* in verbis Christi, quidam Græci Codices non habent. Sic enim legunt: *ὅτι εἰ ἔγνων καὶ σὺ γὰρ ἐν τῇ ἡμέρᾳ σὺ ταῦτην, τὰ ἄσπερ εἰρήνην σὺ*. Eandem etiam non legit Origines, vel quisquis est autor, homil. 38. Sed probati & plerique Codices eam habent sic legentes: *ἐν ἔγνων καὶ σὺ, καὶ γὰρ ἐν τῇ ἡμέρᾳ σὺ ταῦτην, τὰ ἄσπερ εἰρήνην σὺ*, quæ lectio expositionem modo allatam confirmat. Nec est otiosa conjunctionis iteratio *καὶ σὺ, καὶ γὰρ*, sed utraq; singularem habet emphasin, prior enim ad urbem, posterior ad diem pertinet. Si vel tu scires, cui vel maximè hoc scire convenit, vel hoc ipso die tuo, quo ego promissus Messias, Rex & Salvator tuus, ad te venio, ac me tibi præsentem sisto, cogitares ea, quæ ad pacem tuam pertinent. Quamvis enim nomine *diei* Christus generaliter complectatur totum illud tempus, quo hætenus cum Hierosolymitanis conversatus fuerat, prædicando & miracula operando, quod ultra triennii spacium excurreret: tamen peculiariter, propriè ac præcipuè, significat solennem illum diem, quo Hierosolymæ sese, ut Messiam ac Regem, sistebat, pacem & salutem illi offerens, quem diem singulariter à filia Sionis observandum, jam pridem Propheta monuerat. Est ergo magna emphasis in voce *diei*, hoc enim vult Christus dicere: Dies gratiæ adhuc vobis lucet, sequetur nox, in qua non poteritis salutem vestram amplius operari, Johan. 9. vers. 4. Hæc dies est ultima occasio, quæ vobis ad salutem offertur. Hætenus aliquot annos vobis tribui, adhuc pauculi dies restant, citò præterlabetur hæc occasio, nisi cupidè eam amplexamini. Emphaticum etiam illud est, quod

quod hanc diem vocat *diem urbis Hierosolymæ*, id est, quâ singulari beneficio adventus Messia eam Deus dignabatur, quâ publicis & manifestis indicis sese Messiam & Regem Sionis ipsi demonstrabat. Sensus igitur est: Utinam velin hoc die, qui peculiariter est tuus dies, à Deo ad salutem tibi datus, me Regem tuum & Messiam agnosceres, ad quod cognoscendum tot ac tanta te frustra hæctenus invitarunt. Quando hoc die regium meum ingressum celebros, offeruntur tibi ea, quæ ad pacem & salutem tuam pertinent, afferro mecum cælestia beneficia, iustitiam, pacem, salutem & regnum cælorum. Jampridem illud ex mea doctrina & miraculis agnoscere debuisses, sed quia id neglectum hæctenus, ideo animitus opto, ut saltem hoc die tuo, in quo, juxta Prophetarum vaticinia, vectus asello ad te venio, illud agnoscas, & paci, id est, felicitati & saluti tuæ rectè consulas. Interfecisti hæctenus Prophetas ad te missos, me Prophetarum omnium Dominum hæctenus spreveristi, & à te repulisti; utinam in hac ultima mea profectioe ad te venientem susciperes! Significat ergo, voce *diei*, adesse extremum tempus, quod in salutem Hierosolymæ erat destinatum, illud si absq; fructu elabi sineret, prædicat, fore, ut in posterum salutis janua tibi penitus præcludatur, Esa. 49. v. 8. Luc. 13. v. 24. 2. Cor. 6. v. 2. τὰ πύλας εἰρήνης, Interpres Origenis homil. 38. in Lucam, & Hieronymus in cap. 5. Esaia, & in cap. 2. Michea, ita explent, ut subaudiendum verbum sunt: Si scires, quæ ad pacem sunt tibi. Euthymius subaudit: *quæ ad pacem tuam pertinent.* Theophylactus exponit, *ὅτι οὐκ ἔστιν εἰρήνη, ἀλλὰ πόλεμος ἐπιπέσει.* Sed in Græco textu nulla ob id ellipsis statuenda, quia Græcis usitatum est absolute sic loqui. Greg. hom. 39. in Evang. accipit tantum de corporali felicitate, sed præcipue accipiendum de pace spirituali, de reconciliatione cum Deo, & pace conscientia, de ipso Christo, qui est pax nostra, Eph. 2. v. 14. Procul dubio respicit Christus ad vaticinium Propheti, Zach. 9. v. 10. *pacem loquetur gentibus, ut sit sensus: Utinam me pro Messia & Rege agnosceres, ita quos; pacem tuam procurares.* Salmero refert ad falsam & carnalem peccati pacem, quam sibi, Christo abjecto, Judæi promittebant, quem sensum putat probari ex Græco textu: τὰ πύλας εἰρήνης εἶ, i. e. *quæ securura sunt ad pacem & securitatem, quam sibi promittis, quæ flagella, si cognovisses, utiq; respuisses, & peccato pacis, ejus bellum indixisses.* Sed rectius refertur ad veram & solidam pacem & felicitatem. Hebræi nomine *pacis* omnis generis prosperitatem, animi & corporis salutem, temporalem & æternam felicitatem, intelligunt. Hoc ergo in Hierosolyma Christus desiderat & accusat, quod non erat sollicita de iis, quæ ad pacem ejus faciebant, ex quibus tota illius felicitas pendebat, non enim tam ipsam felicitatem, quam media ad eam ducentia, & sic consequenter etiam felicitatem, repudiabant. Illa verò media erant, ut rectè monet Theophylactus, & ex eo Euthymius, ἡ πίστις τῶν Χριστῶν, καὶ ἡ ἀπεχθεὶς τῆς κατὰ αὐτὸν ἰσχυρίας, fides in Christum, susceptio prædicationis ejus, cessatio à pessimis contra Christum consiliis, & aliis delictis, quibus Hierosolyma eo tempore tota erat immersa. Hierosolyma ex vi nominis erat *visio pacis*, sed huic honorificæ denominationi sese minimè convenientem gerebat, non acceptabat pacem à Messia sibi oblatam, non curabat

ea, quæ ad pacem & felicitatem faciebant, conversionem sc. ad Deum, salutarem agnitionem Messia, susceptionem prædicationis Evangelicæ &c. (est enim in Græco numerus pluralis τὰ πύλας εἰρήνης, ut omnia pacis ac felicitatis media & adminicula intelligantur,) ideo non amplius erat, quod dicebatur Hierosolyma *pacis visio*, pacis sedes, sed erat spiritualiter *Sodoma & Egyptus*, Apoc. 11. 8. *Viam pacis ignorare dicuntur, quia ejus autorem suscipere noluerunt*, ait Hieronymus. Videmus igitur (1. extra Christum nullam esse pacem, nullam salutem ac felicitatem, quia extra ipsum nemo potest Deo reconciliari, & ipsius gratiam obtinere, Joh. 14. v. 6. Abundabat Hierosolyma omnibus non solum ad vitam sustentationem, sed etiam ad splendorem necessariis: verum, quia Christum repudiabat, ideo à vera pace & felicitate exulabat. (2. illud esse nostrum tempus, in quo ea curare possumus, quæ ad pacem nostram pertinent, hoc est, in quo possumus ad Deum converti, ipsi reconciliari, & peccatorum nostrorum condonationem impetrare. Sed huic nostro tempori, hisce nostris diebus ad conversionem nobis datis, succedent alii dies, qui non erunt nostri, sed divinæ remunerationis dies, sicut Judæi, in die sibi ad salutem dato, Christum repudiantes, experti sunt alios dies, in quibus, ob contemptum Messia, gravissimè fuere puniti, & gratia Evangelii ad gentes fuit translata. (3. Caveamus igitur, ne tempus acceptabile & diem salutis negligamus, nec lachrymis Christi, & eorum, qui Spiritum Christi habent, dignos nos præbeamus, si cum Hierosolyma terrena etiam nos, qui itidem sumus Hierusalem spiritualis, & civitas Dei sancta, occasiones pacis & salutis divinitus nobis oblatas repudiemus, Evangelium Christi contemnendo, vel non dignè Evangelio vivendo. (4. Denique ostendit Christus fontem peccatorum, cum primis contenti Messia, esse tum affectatam ignorantiam, tum supinam securitatem. *Si scires*, inquit, *ea, quæ ad pacem tuam pertinent, curares.* Quia non sciverunt, vel potius, scire noluerunt, ideo etiam ea, quæ pacis erant, non curarunt, Joh. 15. 21. *Hæc faciente vobis, quia non noverunt eum, qui misit me.* De hac Judæorum cæcitate Christus graviter conqueritur, quando porro subjicit: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* ἐκρύβη, abscondita sunt, ac proinde remota ab oculis tuis. Ellipsis est Hebræa, quæ ex antecedente intelligitur simul consequens, quæ enim absconduntur, ea à conspectu removentur. Quæ verò sunt illa, quæ ab oculis Judæorum abscondita esse conqueritur? Iren. lib. 1. c. 17. p. 70. memorat, Valentinianos docuisse, quod per verbū *abscondita sunt* τὰ κρυπτούμενα ἔβηθη declaratur. Sed hæc portenta recitasse, est, eadem refutasse. Quidam referunt ad sequentia, in quibus obsidio, expugnatio & desolatio urbis prædicatur, ut sit sensus: nunc autem mala illa gravissima tibi imminetia sunt ab oculis tuis abscondita. Sed rectius refertur ad præcedentia, ut ostendit adversativa *de*: *Si scires*, utiq; *ea, quæ ad pacem tuam pertinent, curares, nunc autem ea abscondita sunt ab oculis tuis*, ideo etiam ea non curas. Optarim sanè ex animo, te nosse & expendere, quæ ad pacem tuam pertinent, sed, quod seriis lachrymis deplorandum, ea sunt abscondita ab oculis tuis. Est enim & hinc quædam aposiopesis, non sine maxima energia, hoc vel simili modo explenda: *Nunc sunt abscondita ab oculis tuis,*

magno certè tuo malo, vel quod vehementer deplorandum, vel quod ipsum seriis hisce lachrymis deploro. Quà verò ratione à Judæorum oculis erat hoc absconditum, num ex absoluto quodam Dei odio & decreto, quo necessariam eorum revelationem ipsis inviderit? minimè verò, quia Deus seriò vult omnes salvari, & ad agnitionem veritatis venire, 1. Tim. 2. v. 4. Ipse miserat ad eos, per manum nunciorum suorum, mane surgendo & mittendo, eò quod parceret populo suo, 2. Paral. 36. v. 15. num ex quadam Christi negligentia, qui in tempore eos pramonere neglexerit? nec hoc dici vel cogitari sine blasphemia potest. Ipse enim per integrum triennium, & quod excurrit, ministerio prædicandi Evangelii fideliter apud ipsos functus erat, ac diligentissime ipsos de securis pœnis pramonuerat; quinimò publice in conspectu omnium hic propterea lachrymatur, ut ad considerandam hujus prædictionis suæ veritatem eos excitet, ac lachrymis hisce testetur, sese seriò affici sensu calamitatum, quæ ipsos justo Dei judicio maneant. Culpa igitur unice residet penes ipsos Hierosolymitanos, juxta illud Propheticum, Osee 13. v. 9. *perditio tua ex te, Israel, ex me autem salus tua.* Abscondita enim erant ea, quæ ad pacem ipsorum pertinebant, ab oculis eorum, non quod ob oculos ipsis posita non fuerint; sed quod oculos suos nefarie clausierint, ne viderent ea, quæ videre & debebant, & poterant, quod datâ operâ & industria ea scire noluerint. Neque enim hæc dicuntur ad extenuandam Hierosolymæ culpam, sed accusatur prodigiola ejus cœcitas, quod in clarissima luce coram oculis ipsorum divinitus posita fuerant, videre & intelligere neglexerint, de qua stupenda cœcitate, ex Elai. 6. v. 6. Johannes paulò post latius differit, cap. 12. v. 40. Ideo autem cœcitatem illam Christus accusavit, ut ex securitatis veterino Hierosolymitanos cives excitaret, utque scandalo occurreret, quod ex ipsorum facto oriri poterat. Conjecti erant in Hierosolymam, utpote totius Judææ metropolin, sedem regni & Sacerdotii, omnium non solum Judæorum, sed & gentium oculi, ideo exemplum ejus in utramque partem plurimum momenti habuit, ac proinde, ne ex supino illo Messæ & verbi ejus contentu etiam alii in sua incredulitate confirmarentur, cœcitas ejus tam seriò orationis affectu accusatur, & pœna eandem securura prænunciatur. Proponitur igitur in Judæis speculum horrendæ & damnatæ cœcitis; erant ab oculis eorum abscondita ac remota, tum quæ ad pacem eorum pertinebant, tum futura mala, quæ justo Dei judicio ipsos manebant. Pari ratione homines securi & impii agnoscere nolunt, quæ pacem conscientiæ & reconciliationem cum DEO asserere possunt, neque cogitant, supplicia tum temporalia, tum æterna, ipsorum securitati atque impunitati parata, sed, cœcorum instar, in tenebris densissimis versantur. In hac cœcitate sua non mediocriter per prosperos in hac vita successus confirmantur. Quia enim Judæi in omnium rerum abundantia, in pace & otio adhuc vivebant, ideo verbis Christi, tam horribilia ipsis prænunciatis, fidem minime habebant: similiter fortunæ prosperioris aura impiorum animos ita inflat & extollit, ut, de futuris securi, præsentibus hujus vitæ bonis turpissime abutantur, sicut

Gregorius in explicatione hujus pericopes dicit: *Perversa anima, rebus presentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia.* Item: *Perversa anima, dum in presentis vitæ oblectatione se deserit, quid aliud agit, quam quod oculis clausis ad ignem vadit.* Nostrum verò est, presentis seculi ita transigere lætitiâ, ut futurum judicium, & inferni pœna nunquam è nostra excidat memoria; nostrum est, sollicitis gemitibus Deum precari, ut oculos nostros luce gratiæ & Spiritus illuminet, ne in eandem cœcitatem & stuporem prolapsi easdem etiam pœnas nobis accersamus.

2. *Pœna secururæ prænunciatio.* Accusationi & deplorationi stupendæ cœcitis subijcitur pœnæ gravissimæ eandem secururæ prænunciatio. Prædicat enim Christus ingrata urbi 1) *obsidionem.* Quia, inquit, *venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & cingent te.* Tò ὄτι Theophylactus accipit εἰδιδὼς, & prædictionem hanc futurarum calamitatum, in explanatione hoc modo cum superioribus connectit: *Nunc autem absconditum est ab oculis tuis, istud scilicet, quod venient dies in te.* Cum enim ἐπιπλήσι sit singularis numeri, ideo referri potest vel ad præcedentia, τὰ πρὸς εἰρήνην σε, vel ad sequentia, quod venient dies. Sed often dimus superius, illud ἐπιπλήσι rectius referri ad præcedentia, videlicet τὰ πρὸς εἰρήνην, quod ostendit particula adversativa; *nunc autem abscondita sunt,* significatur enim, eadem esse incognita, quæ prius optabat esse cognita. Quidam & ἔτι volunt esse particulam expletivam vel certè assertivam: *Utique venient in te dies,* sicut etiam alibi eo sensu usurpatur. Quidam accipiunt positum pro δῖον, ut sit conclusio ex præcedentibus nascentis, hoc sensu: *Sed ea nunc sunt abscondita ab oculis tuis.* Quamobrem venient in te dies. Sed simplicius & concinnius accipitur pro conjunctione causali; quæ duplici ratione cum præcedentibus coheret. Vel enim in fine superioris versiculi statuitur quædam aposiopesis, cujus maxima emphasis: *Nunc ea, quæ ad pacem tuam faciunt, sunt abscondita ab oculis tuis;* itaque misere peribis. *Nam veniet tempus.* Vel, Christus exponit causam suarum lachrymarum: *O utinam! vel in hoc die tuo cognosceres, quæ ad pacem tuam faciunt, ut sunt abscondita ab oculis tuis,* quod flebilibus vocibus deploro. *Nam venient dies, &c.* Per dies phrasi Scripturæ series dierum sive tempus aliquod intelligitur, ac loquitur Christus in plurali, ἡμετέρας, quia obsidio, de qua hic sermo est, duravit aliquot annis. Et opponuntur hi dies illi diei, de qua in proximè præcedente versiculo Christus dixerat: *Utinam! vel in hoc die tuo cognosceres, quæ ad pacem tuam faciunt;* sed quia illa sunt abscondita ab oculis tuis, ideo venient alii dies, qui non amplius erunt tui, id est, in quibus non amplius obtinget tibi hæc felicitas, ut possis pacem tuam procurare, Deo reconciliari, & pœnam avertere. Dies illi venient ἄπὸ σε in te, vel contra te, quia erunt dies isti tibi infausti & vehementer adversi. Syrus reddidit דַּי, *venient tibi. וְהַיּוֹם מַלְאכָהּ אֵי עֲדָרָי* σε χάρακα σε: *Venient dies, & circumdabunt te,* hoc est, in quibus circumdabunt te inimici. Phrasis est Hebræa, cujus exempla etiam alibi occurrunt, Jerem. 33. vers. 14. *Venient dies, & suscitabo verbum bonum,* id est, in quibus suscitabo verbum bonum. Per inimicos intelliguntur Romani, qui, Duce Tito, Vespasiani filio, post annos 40. vene-

runt

runt, & urbem arctâ obsidione cinxerunt. περιβαλόντες χάρακα circumficient, circummittent tibi vallum, circumdabunt te vallo. χάραξ, est munimentum castrorum, ex vallis sepulis terræ infixis constructum, quod terrâ, lapidibus, arboribus & lignis aggestis firmatur. Latinis dicitur agger sive vallum. Hefychius & Suidas χάραγμα vocant περιφραγμα, ὁ περιβαλλὼν τὴν ἐν ἐπιπέδῳ ὄρει σὺν τῆι ἐπιπέδῳ, τὸν ὄρειον χάρακα καὶ ἐπιπέδον περιφραγῶν. Quod sicutum Porfena quispiam in festo mania exercitum Tyrreno- quæ vallo cinxisset, ut Budæus vertit. Deducunt à χάραξι vel χάραξω incido, sulcum imprimo, quia vallo sive aggeri conjungi solent fossæ, sive fossæ, quæ nihil aliud sunt, quàm terra incisa & excavata. Qualia autem characmata Romani construere fuerint soliti, colligi potest ex Julio Cæsare, lib. 7. belli Gallici, ubi ea sic describit: Truncis arborum, haud admodum firmis ramis abscissis, atq; horum delibratis atq; præcutis cacuminibus, perpetuae fossæ quinos pederatæ ducebantur. Huc illi stipites demissi, & ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant, quini erant ordines, conjuncti inter se atque implicati, quod qui intraveniret, seipsi acutissimis vallis in auebant, hos cippos appellabant. Ante hos, obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudine pedum fodiebantur, paulatim angustiore ad summum sagittio. Huc teretes stipites feminis consuetudine ab summo præcuti & præusti demittebantur, ita ut non amplius quatuor digitis ex terra eminerent. LXX. utuntur nomine χάραξ, Esa. 29. v. 3. qui locus huic nostro parallelus est, ad quem etiam Christus, teste Cyrillo, Eusebio & Theodoro, alludit. Castra metabor in circuitu tuo, sicut pila rotunda contra te, & coarctabo super te lignæ turri, & statuam contra te munitiones, καὶ βαλῶν ἐπὶ σε χάρακα. Ezech. 21. vers. 21. utuntur pro דרור, quod significat arietes ferreos, instrumenta bellica, ad murum feriendum parata. Esa. 37. v. 33. Jer. 33. v. 4. Ezech. 4. v. 2. c. 26. v. 8. ponitur pro דרור, quod significat terram stratam, sive in cumulum suggestam. Syrus hoc loco non facit mentionem valli, sed simpliciter dicit: circumdabunt te inimici tui, ubi est דרור pro דרור, καὶ ἐκινυλῶσῶσὶ. Latinus interpres repetit prius vocabulum, circumdabunt: Sed in Græco aliud habetur, περιβαλόντες καὶ ἐκινυλῶσῶσὶ, circumficient te undique in circuitu militibus & machinis. Complementum hujus vaticinii post 40. vel, ut alii numerant, 42. annorum decursum fuit insectum, ut latè describunt Josephus, lib. 6. & 7. Belli Judaici; Eusebius, lib. 3. Hist. Eccles. cap. 5. & seqq. Egesippus, lib. 4. cap. 13. & seqq. Nicephorus, lib. 3. cap. 3. & seqq. Cum enim seditionum apud Judæos nullus esset finis, ac singulis ferè annis novi exsurgerent seductores, qui Messia titulum sibi vendicabant, ac libertatem populo promittebant, tandem, ultimo Neronis anno, Vespasianus cum legionibus in Judæam fuit missus, qui à Galilæa facti belli initio, totam ferro & igne vastavit, indeque postea versus urbem Hierosolymam progressus est. In ejus verò obsidione à militibus Imperator electus, Romanus contendit, & bellum Tito, filio suo, conficiendum commisit. Fecit is, quæcumque in urbis munitissimæ obsidione fieri poterant, & quidem eodem anni tempore, quo Christus hæc præ-

dixerat, videlicet circa tempus Paschatos, quo multa Judæorum millia Hierosolymis erant congregata; & eodem ordine, quo Christus hæc futura prænunderat. Primo enim vallum circumduxit urbi, quod Josephus, lib. 6. Belli Judaici. cap. 12. sic describit: A Romanis duodecimâ Maji aggeres inchoati, vix vigesimâ nonâ perfecti sunt, cum totos dies septendecim laborasset. Ingentes enim aggeres quatuor facti sunt, & unus quidem, qui erat ad Antoniam, & à quinta legione fuerat extructus contra medium stagnum, quod Struchium vocatur: alter verò à duodecima duodecim cubitis distans. Decima autem legio, quæ supra memoratis præstabat, in Septentrionali parte opus exereat ubi stagnum est, quod Amygdalon dicitur. Sed & quinta decima legio aggerem triginta cubitis descendentem fecit ad Pontificis monumentum. Facit etiam alterius aggeris & turrium aliquot per Romanos extructarum mentionem, quæ omnia Christus breviter complectitur, quando dicit περιβαλόντες χάρακα, cap. 13: subjungit, quod, cum Judæi eruptione factâ, aggeres & munitiones Romanorum incenderent ac diruerent, Titus novum & mirificum opus excogitans, totam urbem muro incluserit, quem divino impetu, ut ipse loquitur, milites tridui spacio per ambitum triginta & novem stadiorum duxerunt, unâ cum tredecim castellis, in quibus excubiæ contra urbem disponentur. Hoc muro tota urbs fuit circumferta, præcluso omni ex parte exitu, ad quem pertinet, quod Christus dicit περιβαλόντες χάρακα. Hanc arctissimam obsidione secuta fuit 2) coangustatio. Καὶ συνέχευσε τὸ πᾶν τὸν οὐρανόν, inquit Christus. Cum enim murus in circuitu totius urbis circumductus, prohiberet, quò minus cuiquam exitus vel introitus pateret, inde fames intolerabilis in urbe est exorta, quæ non solum fimos columnarum & alia rejectamenta, sed etiam proprios filios eos edere coegit. Accesserunt etiam intestinæ seditiones, in quibus mutuis vulneribus sese invicem conciderunt, granaria incenderunt, ex quo, uti etiam ex fame, orta est horribilis lues, singulis diebus quamplurimos absumens, de qua Josephus dicto loco, cap. 14. sic scribit: Cum non superesset in urbe locus, ubi sepelirentur cadavera, in fossas ex muro præcipitabant, quas circumiens Titus, ubi plenas cadaveribus vidit, atque sanie tabefactis cadaveribus defluentes, ingemuit, & expansis manibus testabatur, hoc non suum opus esse. lib. 7. cap. 8. commemorat Historiam de muliere, quæ per famem filium suum coxerat, quæ, ut & alia huic pertinentia, apud ipsum Josephum videri debent. Coangustationem insecta fuit 3) expugnatio & desolatio. Et solo equabunt te & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem. Interpres Latinus reddidit: ad terram prosternent te; sed Græcum ἐδαφίσι significantius est, & plus completitur. ἐδαφίσι est solum sive pavementum, inde ἐδαφίσι, solo equare, quod apud profanos dicitur καταβαλεῖν vel κατελεῖν εἰς ἐδαφίσι. Plutarchus ἐξ ἀνοραμπίσι μιν πύλον εἰς ἐδαφίσι κατέβαλε. Thucyd. lib. 3. ὑπερὸν δὲ κατελεόντες αὐτῶν εἰς ἐδαφίσι πύλον ἐκ τῶν θυμειδίων. Apud LXX. Interpp. aliquoties usurpatur, Esa. 3. vers. 26. εἰς τὴν γῆν ἐδαφίσι, ubi in Hebræo est, in terra sedebit. Ezech. 31. vers. 12. καὶ ἡδαφίσι αὐτῶν, ubi in Hebræo est εἰς τὴν γῆν, & dimiserunt eum. Amos 9. vers. 14. οἰκοδομήσῃσι πάλιν τὰς ἡδαφίσι μείνας, ubi in Hebræo est εἰς τὴν γῆν, desolatus, desolatus.

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

M 3

vastatas urbes. Syrus hoc loco habet verbum $\eta\mu\sigma$, traxit, subvertit. Quod in verbis Christi additur $\kappa\alpha\iota \tau\acute{\alpha}\nu\alpha \sigma\alpha \epsilon\upsilon \sigma\alpha\iota$, Lutherus in Germanica versione omisit, quod argumento est, illud non haberi in omnibus exemplaribus, sed in nostris Codd. ut & in Syriaca versione habetur. Posset autem hoc accipi de vicinis pagis & oppidulis Hierosolymam circumjacentibus, quæ usitatâ Scripturæ phrasi dicuntur *silia*, cum civibus Hierosolymitanis $\epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$ non videatur satis convenire. Atque hæc explicatio optimè congrueret complemento, quia Titus initio obsidionis suburbana ac circumjacentes pagos per milites incendit ac devastavit. Sed in Græco est $\kappa\alpha\iota \tau\acute{\alpha}\nu\alpha$, per quod non intelliguntur oppidula ac vicij circumjacentes, quæ dicuntur *ὑποῤῃγες* sive *silia* metropoleos: sed cives & incolæ, quorum mater dicitur civitas, quia sinu suo eos fovet ac nutrit, ut superius in explicatione oraculi Prophetici, *exultat, silia Sion*, latius ostendimus. Ac notanter additur $\kappa\alpha\iota \tau\acute{\alpha}\nu\alpha \sigma\alpha \epsilon\upsilon \sigma\alpha\iota$, *filios tuos in te*: vel, ut Syrus emphaticè reddidit, *in medio tui*, ex quo manifestum est, per hosce liberos Hierosolymæ ejus cives & incolæ intelligi. Neque quenkam turbet verbum $\epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$, illud enim non solum significat *solo equare*, quando de ædificiis urbium accipitur: sed etiam *solo allidere*, quando de incolis urbium usurpatur, Psal. 136. v. 12. $\mu\alpha\delta\epsilon\lambda\epsilon\theta\iota$, $\delta\epsilon \epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$ $\kappa\alpha\iota \nu\eta\mu\alpha \sigma\alpha \omega\sigma\epsilon\varsigma \tau\eta\iota \pi\acute{\alpha}\tau\epsilon\omega\varsigma$, ubi in Hebræo habetur verbum $\mu\alpha\delta$, quod significat, *conterere, collidere, dispergere*; Osee 10. v. 15. $\mu\eta\tau\epsilon\gamma\epsilon\lambda \tau\eta\iota \tau\acute{\epsilon}\rho\upsilon\sigma\iota\sigma\iota \epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$, cap. 14. v. 1. $\kappa\alpha\tau\alpha\tau\eta\tau\eta\iota \delta\iota\upsilon\tau\omega\iota\sigma\iota \epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$. Nahum. 3. v. 10. $\nu\eta\mu\alpha \delta\iota\upsilon\tau\omega\iota\sigma\iota \epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$, ubi in Hebræo est $\mu\alpha\delta$, *allisit ad lapidem seu parietem*, interficiendi seu scindendi causâ ad aliquid projicit, 2. Reg. 8. v. 12. In quibusdam exemplaribus habetur $\kappa\alpha\iota \nu\eta\mu\alpha \delta\iota\upsilon\tau\omega\iota\sigma\iota \epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$, ubi in aliis est $\delta\iota\alpha\pi\eta\lambda\epsilon\iota\sigma\iota\sigma\iota$, in aliis $\epsilon\upsilon\sigma\epsilon\iota\sigma\iota\sigma\iota$, ex quo genuina hujus vocabuli significatio colligi potest. Sensus igitur est, quod hostes post urbem expugnationem eandem funditus diruent, ædificia splendidissima incendio ablument, in cinerem & pulverem redigent; cives autem, ac cujuscunque tribus Judæos, in urbe congregatos, jugulabunt, cadavera eorum in plateas abjicient, infantes solo allident, ut cerebro dispergant viam, neque quidquam crudelitatis intermittent. Quod si per verbum generale, & urbi & incolis ejus conveniens, $\epsilon\delta\alpha\phi\iota\sigma\iota\sigma\iota$ reddere velimus, possumus vertere: *destruent te & filios tuos in te*; urbem destruent, quia solo eandem æquabunt; incolæ destruent, quia crudeliter eos occident. Huic vaticinii parti itidem tristissimus respondit eventus. Josephus enim libro 7. belli Judaic. cap. 9. & seqq. latè describit, quomodo post varias incurSIONES & oppugnationes urbs tandem expugnata, templum incensum, & occisi cives innumerati. cap. 17. dicit: *occisorum, sive fame, sive gladio per omne tempus obsidionis, fuisse undecies centum millia*, quorum plerosque, ait, fuisse gentiles, hoc est, Israëlitas vel contribules, non autem omnes indigenas, quia ab omnibus regionibus ad azy-morum festum congregati bello subito circumfusi sunt, cum velut in cavea vel carcere quasi quodam essent divino judicio conclusi. Hanc miserabilem urbem $\nu\epsilon\upsilon\lambda\epsilon\theta\epsilon\tau\epsilon\iota\sigma\iota$ magis exprimit Christus, quando subjicit: *Et non relinquens in te lapidem super lapidem*; qua phrasi speci-

em hyperboles præ se ferente extrema desolatio significatur. Neque enim cogitandum, tam fuisse curiosos vel potius otiosos Romanos, ut eis vel libuerit vel vacaverit, singulos lapides à se invicem revellere, ac sollicitè prohibere, ne lapis aliquis lapidi adhuc cohæreret, & alioqui turres aliquot relictas fuisse, Josephus, lib. 7. de Bel o Jud. cap. 18. testatur: sed scopus verborum Christi considerandus est, quod videlicet universalem & extremam desolationem illis exprimere voluerit, de qua Spiritus sanctus in Vet. Test. sic solet loqui, Dan. 9. v. 26. *Dissepabit sanctorum populus Ducis venturi, & finis ejus in inundatione, & ad usque finem belli decise sunt desolationes. v. 27. usque ad consummationem & decisionem effundet se super obstupescentem.* Mich. 1. v. 6. *Ponam Samariam in ævum agri, in plantationes vineæ, & dispergere faciam in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus revelabo.* Hab. 3. v. 15. *denudabo fundamentum, quando enim fundamenta alicujus structuræ denudantur, structura tota à fundamentis usque dissoluta intelligitur, & lapides omnes è loco suo dejecti.* Matth. 23. v. 38. *ecce relinquetur domus vestra deserta ac desolata.* Matth. 24. v. 2. de eadem Hierosolymæ devastatione Christus sic loquitur: *Amen, dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat, & nec ædificetur, qui non dissolvatur.* Quomodo hæc vaticinii particula impleta fuerit, docet Josephus, lib. 7. belli Judaici, cap. 18. *Postquam quos occideret, quidam raperet, non habebat exercitus, quod iratis animis omnia deerant, nec enim parcendo, si esset, quod agerent, abstinissent, jubet eos Cæsar totum funditus jam erueret civitatem, ac templum, relicta quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaselo & Hippico & Mariamne, miris tanto, quantum civitatem ab Occidente cingebat. Id quidem, ut esset castrum illic custodia causâ relinquendis, turres autem ut posteris indicarent, qualem civitatem, quam munissimam, Romanorum virtus obtinisset. Alium verò totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut, qui ad eam accessissent, habitam aliquando esse vix crederent.* Voluit quidem Titus templi, stupendi illius ædificii, incendium ac devastationem prohibere, sed, quia Dei decretum, à Christo hic revelatum, judicio justissimo illud flammis atque excidio adjudicaverat; ideo milites nihil reveriti edictum Ducis, sed divino quodam moti impetu, ut Josephus, dicto loco, cap. 9. loquitur, illud incenderunt, ac postea totum unâ cum civitate funditus subverterunt. Quinimò, quod à Titò relictum fuit, deinde ab aliis postea fuit subversum, ut perfectè impleteretur, quod à Domino hic prædictum, Hierosolymam esse penitus delendam. Memorabile cum primis illud, quod Socrates, lib. 3. Hist. cap. 17. Ruffinus, lib. 1. cap. 37. & seqq. Ambros. Epist. 29. ad Theodosium; Theodoretus, lib. 3. Hist. Eccles. cap. 20. Greg. Nazianz. orat. 2. in Julian. Chrysost. homil. 4. in Matth. & orat. 2. contra Judæos; Niceph. lib. 16. Hist. cap. 32. & alii Scriptores Ecclesiastici referunt, cum Judæi, imperante & instigante Juliano apostatâ, urbis instaurationem aggredierentur, ac quicquid supererat veterum ruinarum ac fundamentorum, eruerent, ut nova fundamenta jacerent, & Christum falsi convincerent, quod horrendis prodigiis impediti, & ab opere deterriti fuerint, quò minus illud perficerent, quodq; terra ignem vomerit, quo ceptum stru-

tura

cturæ opus fuerit absumtum. Quamvis verò Ælius Adrianus Imperator longè ante Julianum eam reedificare cœpisset, tamen nec eundem locum occupat, cum jam mons calvarie sit intra civitatem, nec idem nomen, cum à conditore Ælia denominetur, quin & publico edicto prohibuerat, ne quis Judæus eandem ingrederetur. Sed de hac vaticinii parte plenius infra differemus, c. 160.

Ad hanc corporalem Judæorum calamitatem longè maximam & miserrimam accessit spiritualis adhuc major, quod videlicet ex Ecclesiæ confortio & à facie Dei abjecti sint, sicut Christus eis fuerat comminatus, Matth. 21. v. 43. *Regnum Dei auferetur à vobis, & dabitur genti facienti fructus ejus. Mensarum facta est coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum, Pl. 69. v. 25. obscurati sunt oculi eorum, ne videant: & dorsum eorum semper nutat, v. 26. effudit Deus super eos iram suam, & furor iræ ejus comprehendit eos, v. 25. Excœcatus est cor ipsorum, & aures eorum aggravate, & oculi eorum clausi, ne videant oculis suis, v. 25. Audiunt auribus suis, & corde suo intelligunt, & convertantur ad Deum, & ab ipso sanentur, Ef. 6. v. 10. Pervertit ira Dei super illos usque in finem, 1. Theff. 2. v. 16. Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur, v. 15. Audiunt in hodiernum diem, cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum, 2. Cor. 3. v. 15. Hæc certè est miseria omnium maxima, quod non solum destituti sunt majestate externi regni, quod miserunt politiam saluberrimis Legibus à Deo ipsò sancitam; sed etiam ex hereditate cœlestis regni sunt abjecti: quod non solum amiserunt fortunam, corpora & vitam; sed etiam æternæ felicitatis promissione & possessione exciderunt. Quæ omnia cum à Christo hoc loco & alibi ipsis diserte fuerint prædicta, jam verò ipso eventu extent clarissimè comprobata, ex eo veritas prædictionis Christi, ac simul potentia ejus in debellandis hostibus suis elucet. Christus hæcenus ingemuerat, & illachrymatus fuerat, Sacerdotis partes fideliter implens, & lachrymis suis apud Deum pro ipsis intercedens: hæc verò, fumè quasi judicis ac Regis personam, durius compellat Hierosolymam, & extremum ei denunciat excidium: Regis enim est, imprecari mala malis civibus, à quibus honoris excipi debebat, sed turpissimè ab iisdem rejicitur ac repudiatur. Hierosolymitani agnoscere recusabant, quæ ad pacem eorum facerent, idèò bellum illis Christus prædicit, & quidem tale bellum, quo ad internecionem & omnimodam devastationem usque erant opprimiendi. Erat Hierosolyma urbium totius Orientis pulcherrima, teste Plinio, lib. 5. Natur. Historiæ, cap. 14. erat civitas clarissima, & apud omnes homines prædicatissima, ut loquitur Josephus, lib. 7. Bell. Judaici, cap. 18. Thalmudistæ scribunt, in ea fuisse 431. collegia, in quibus divina & humana sapientia tradebatur. Vocabatur Hierosolyma, i. e. *visio pacis*, quia Deus pacis in ea habitabat & videbatur. Esa. 29. v. 1. vocatur *Ariel*, id est, Dei leo, quod ibi sedes esset regni Judæ, qui vocatur leo, Gen. 49. 9. & quia per Dei robur erat potens. Esa. 22. v. 1. vocatur *vallis visionis*, quia multi videntes, hoc est, Prophetæ, in ea erant. Ef. 3. 9. dicitur ignis Domini fuisse in Sion, & caminus ejus in Jerusalem, quia Deus ibi per gratiosam suam presentiam habitabat, & quia ignitiones sive sacrificia ipsi ibidem offerebantur. Erat civibus potens, muni-*

Harm, Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars. prim.

tionibus firma, opibus abundans, securo pace, cultu divino clara; erat *civitas Regia*, quia Reges Judææ in ea, utpote Palæstinæ metropoli, sedem regni fixerant; ac ferie non interrupta per annos circiter 450. videlicet à temporibus Davidis usque ad Babyloniam excidium, in ea habitaverant. Pl. 122. v. 3. *Jerusalem edificatur, ut civitas, v. 4. ut illuc ascendant, tribus Domini, v. 5. illic etiam sunt sedes ad judicium, sedes domus David.* Erat *civitas Sacerdotale*, quia in ea erat templum, in quo omnia sacrificia offerri à Sacerdotibus oportebat; erat *civitas Prophetica*, quia Prophetæ ad eam erudiendam & corrigendam divinitus mittebantur, Matth. 23. v. 33. Luc. 13. v. 33. & 34. Christus, Rex, Sacerdos & Propheta ad eam venerat, gratiam Dei & cœlestes thesauros ipsi obtulerat, ac partem temporis suo in terris ministerio destinati maximam in eam impenderat. Acceperat à Deo promissiones longè amplissimas, Exod. 20. v. 24. *In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.* 1. Reg. 9. v. 3. *Sanctificavi domum hanc, quam edificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Psal. 132. v. 13. *elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.* v. 14. *hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* De templo Hierosolymitano, quod inter mundi miracula numerari omni jure meretur, Joh. 2. v. 20. dicunt Judæi, quod *quadraginta & sex annis edificatum fuerit*, quod quidam accipiunt de templo à Zorobabel, post Babylonicam captivitatem, constructo, quod primo anno Artaxerxis, qui 40. annis regnavit, aedificari cœptum, sed postea impeditum, tandem verò anno Darii successoris sexto, fuisse absolutum, statuunt. Proprie autem videtur accipiendum de eodem templo, quod Herodes maximis impensis & studio mirifico exornaverat, teste Egesippo, lib. 1. cap. 35. & Josepho, lib. 18. antiquit. cap. ult. unde discipuli structuram templi Christo demonstrantes, admirabundi dicunt: *Aspice, quales lapides & quales structure!* Matth. 24. 1. Marc. 13. 1. Luc. 21. vers. 5. Hæc certè fuerunt magnæ prærogativæ & excellentiæ hujus urbis, sed non minora extant Israëlitiçi populi encomia. Exod. 4. 22. vocatur *filii Dei primogenitus*, quem scilicet diligit, tanquam primogenitum suum filium parens diligit. Exod. 19. v. 5. vocatur *Dei peculium*, *λαός ωριστός*. Symm. *ἐξαιρετός*. Hebræum *הלל*, significat *rem caram & preciosam*, preciosum *קנין*, quod magni æstimatur, & diligenter asservatur, ibid. v. 6. *eritis mihi in regnum Sacerdotale & gens sancta*, *ממלכת כהנים*, *regnum Sacerdotum*, id est, Sacerdotale. Hebræi enim substantivum in casu secundo positum usurpant pro epitheto adjectivo. Chaldæus reddidit, *eritis mihi Reges & Sacerdotes*. Eritis mihi regnum non prophanum, sed sacrum & religiosum, quod ex Sacerdotibus personis sacris constat, quod encomium ad totum populum pertinet, qui victimas spirituales Deo offerre debebant, ac peculiari modo à Deo gubernabantur. Eritis etiam mihi *gens sancta*, separata à profanis immundis gentibus, quoad matrimonia, convictum & cohabitationem; quoad custodiam oraculorum divinorum, Rom. 3. v. 2. & expectationem promissionis de Messia; eritis etiam gens sancta, ratione sanctitatis, tum imputatæ tum inchoatæ, quod insigne populi encomium sæpius repetitur, Deut. 7. 6. c. 14. 2. c. 26. 18. *Populus sanctus es Domino Deo*

tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terrâ. Jer. 12, 7. vocatur hic populus dilectâ Dei anima, quem scilicet diligit, sicut homo diligit animam ac vitam suam. Hæc & similia encomia tribuuntur populo Israelitico propter varia & eximia beneficia, quæ Deus in ipsum contulit. Cum enim majores ipsorum non minus ac reliquæ gentes versarentur in densissimis idololatriæ tenebris, apparuit Deus Abrahamo, iussit eum exire ex Ur Chaldæorum; nec solum ad veram sui cognitionem eundem perduxit, sed etiam promissionem ipsi dedit de Messia, ex ipsius semine nascituro, de multiplicatione generis, & possessione terræ Canaan, Gen. 12, v. 1. 2. & 3. c. 18, 18. c. 22, 18. quin & fœdus cum ipso iniiit, quod ipsius & seminis eius Deus esse velit, Gen. 17, 7. Neq; hæc fuerunt nuda verba & inania promissa, sed cum Abrahamæ nepos Jacobus propter annonæ caritatem in Ægyptum descenderet, ibidemque semen ejus multiplicaretur quidem, interim tamen duro servitutis jugo à Pharaone premeretur, Deus promissionis suæ memor, manu excelsâ & brachio extenso ipsius posteros ex Ægypto per desertum in terram Canaan deduxit, ac variis beneficiis hunc populum peculiariter à se electum cumulavit, qualia sunt: (1) liberatio ex Ægypto per varia prodigia & ostenta, quæ in toto orbe fuere celebrata; patefacta fuit ipsis via per mare, in quo Pharaon cum omni suo exercitu suffocatus, ad cuius beneficii memoriam Deus ipse sæpius eos revocat, Ex. 20, 2. Deut. 5, 6. Ps. 81, 11. &c. (2) solennis legis promulgatio, per quam peculiare fœdus cum ipsis iniiit, & veram divini cultus normam ipsis præscripsit, Ps. 147, 19. Annunciat verbum suum Jacob, statuta & judicia sua Israel. v. 20. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Fuit certè eximia hujus populi gloria, quod habebant tabulas divinæ Legis ipsius Dei digito descriptas. (3) apparitio in columna nubis & ignis. Exod. 3, 20. Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut lumen præberet eis, & ut dux esset itineris utroq; tempore, &c. Item testificatio, h. e. voluntatis divinæ manifestatio ex propitiatorio super arcam fœderis, Ex. 25, 22. inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium. (4) cibatio per manna in deserto per quadraginta annos continuos, Ex. 16, 15. & 35. Fuit Deus veluti ipsorum œconomus, dedit eis potum ex petra, Ex. 17, 6. prohibuit divino miraculo, ne calcei ipsorum, tempore peregrinationis in deserto, attererentur, nec vestimenta eorum scinderentur, Deut. 26, 5. fuit etiam ipsorum Medicus, quia ictos à serpentibus ignitis sanavit, Num. 21, 9. (5) erectio tabernaculi, constitutio cultus Levitici, ad quæ pertinent sacrificia, quæ fuerunt typi unici illius sacrificii propitiatorii, quod pro peccatis mundi in ara crucis à Messia erat offerendum. Hierarchia Ecclesiastica, Legibus ceremonialibus politica, forensibus à Mose promulgatis, sanciebatur ac regebatur. (6) distributio terre Canaan, quæ fluebat lacte & melle, quâ nec araverat, nec coluerant, sed in aliorum labores ingrediebantur. (7) miraculose victorie ab hostibus reportatæ, quæ in libro Iosue potissimum describuntur. Deus ipse pro eis contra hostes pugnabat, mittebat crabrones ante ipsos, quibus expellebantur omnes adversarii. (8) missio Prophetarum continuâ serie sibi invicem succedenti, per quos de via salutis DEUS ipsos instrue-

bat, de futuris eventibus admonebat, errantes in viam revocabat, promissionem de Messia illustrabat, cultum collapsum instaurabat, 2. Paral. 36. v. 15. mittebat Dominus Deus Patrum suorum ad illos per manuum nunciorum suorum, manè surgendo & mittendo, eò quod parceret populo & habitaculo suo. (9) erectio templi Hierosolymitani per Salomonem, de cuius magnificentia ad remotissimas gentes fama spargebatur; erat in eo sacer ignis coelo delapsus, quo sacrificia incendebantur, erat Urim & Thumim, erant tabulæ Legis, erat יְהוָה divinitas super arcam fœderis in medio duorum Cherubim habitans, erat Spiritus prophetia, &c. Et quamvis templum illud per Nebucadnezarem destrueretur, ac populus in Babylonicam captivitatem abduceretur, tamen misertus DEUS populi sui, reduxit eos ex captivitate, & per Zorobabel aliud templum extrui curavit, ut ex Esdræ & Nehemiæ libris constat. (10) omnium verò maximum beneficium Israelitico populo præstitum, erat ipsius Filii missio, qui ex Judæis natus, Joh. 4, 22. Hebr. 7, 14. factus est minister circumcisionis, Rom. 15, v. 8. ac per integrum triennium, & quod excurrit, in propria persona Judæis concionatus est. Hæc certè fuerunt magnæ prerogativæ & ἐξουσίαι hujus populi: sed cum iisdem pessimè abuterentur, & Messiam divinitus ad se missum contumaciter repudiarent, adeoq; tempus visitationis suæ agnoscere nollent, Deus iusto suo iudicio tam splendidam urbem voluit destrui, ac tam dilectum populum dissipari, cuius excidii ac devaluationis causas habuit longè gravissimas. Primò enim voluit Deus ulcisci sanguinem Prophetarum suorum, in urbe illa & à populo isto toties effusum, Matth. 23, 34. ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, &c. v. 36. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, v. 37. ecce relinquetur vobis domus vestra deserta; quod repetitur, Luc. 13, 33. 34. 35. &c. Act. 7, 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? 1. Thess. 2, v. 14. occiderunt Prophetas, & omnibus hominibus adversantur. Deinde voluit Deus extare publicum testimonium iræ suæ adversus peccata, testatur enim Egesippus, lib. 4. cap. 6. Hierosolymam tunc fuisse sentinam omnium flagitiorum, Phariseorum & Scribarum hypocrisin, avaritiam, fastum, &c. Christus passim taxat, cum tamen illi voluerint esse duces cæcorum, quid ergo de reliquis boni sperandum? Cum primis verò contemptum Filii sui, Messie ad ipsos missi, Deus hac ratione punire voluit, iuxta comminationem, Deut. 18, 19. Qui verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Caveamus igitur à contemptu Verbi divini & Messie, cum tam graviter in Judæis eum fuisse punitum videamus. Hæc enim & facta & scripta sunt propter admonitionem nostram, 1. Cor. 10, 11. ut cogitemus, si Deus naturalibus ramis non pepercit, fore, ut multo minus nobis parcat, si eandem peccatorum orbitam terere perrexerimus, Rom. 11, v. 21. Prædixerat Deus aliquoties, tam dira ac dura Judæis eventura, si neglectis omnibus admonitionibus in securitate, impœnitentia, Messie contemptu, inobedientia, & omnis generis gravibus delictis, pertinaciter progredederentur, Lev. 26, 14. & seqq. Deut. 28, v. 15. & seqq. Es. 29, v. 2. & seqq. Dan. 9, vers. 26. & 27. Mich. 3, vers. 12. Malach. 2, vers. 2. quin & per captivitatem Babylonicam ad seriam conversionem eos revocare

cohatus fuerat, 2. Paral. 36, 17. sed, cum nec admonitionibus nec castigatōibus paternis sese emendari paterentur, tandē arripuit Deus flagellum finalis excidii & extrema devaluationis, ut perpetuū memoriale iræ suæ ad versus peccata in Ecclesia N. T. imò apud omnes homines futuris temporibus victuros, extaret. Secundari⁹ ac minus principalis terris peragere, itante adhuc Judæorum politia, & templo Hierosolymitano, Gen. 49, 10. Dan. 9, 25. & seqq. Mich. 5, 2. Hagg. 2, 8. Mal. 3, v. 1. (2. Christum non venisse, ut regnum aliquod mundanum erigeret, sed spirituale ac cœleste. (3. Ceremonias Leviticæ, & Leges forenses populo Judaico præscriptas, in N. T. esse abrogatas, cum ipsam officinam Levitici cultus, & politiam Judaicam Deus everti voluerit. Cum Romani milites in urbis devaluatione vitæ Sacerdotum parcere vellent, Tit⁹ respondisse, apud Josephum, dicitur: *extinctis templo & sacris, non fas esse, Sacerdotes vivere: nos rectius pronunciarē possumus, destructo templo Hierosolymitano, & versâ Judaicâ politia, Leges ceremoniales & forenses simul esse abrogatas, quippe quæ ad templum & politiam Judaicam erant accommodatæ.*

3. Tandem subjicit Christus *causa declaracionem*, ob quam sc. hæc mala Hierosolymæ; populo Judaico sint superventura, videlicet, *quia non cognovit tempus visitationis suæ. ἡπιστομένη*, propriè significat inspectionem, ab ἡπιστοπέω, Act. 1, 20. 1. Tim. 3, 15. usurpatur pro munere publico, quod ministri Ecclesiarum obeunt, quibus convenit gregi sibi commisso ἡπιστοπέω, 1. Petr. 5, 2. ex quo ἐπιστοποί appellantur, Act. 20, 28. Phil. 1, 1. 1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 7. LXX. variis modis utuntur, ex quibus significationibus hujus loci propria est ea, quæ pro ἡπιστοπέω usurpatur, sicut etiam Latinus Interpres. I. per visitationem reddidit, unde cum verbo ἡπιστοπέω sapius conjungitur, Gen. 50, 24. ἡπιστοπέω ἡπιστοπέω, ὁ θεός. Ex. 3, 16. ἡπιστοπέω ἐπέσχετο μοι. cap. 13, 19. ἡπιστοπέω ἡπιστοπέω, ὁ θεός. Facit autem Scriptura duplicis ἡπιστοπέω sive visitationis mentionem: Prior est visitatio gratiæ, liberationis & beneficii; posterior *justitiæ, castigacionis ac supplicii.* De priorē visitatione loquuntur hæc dicta, Gen. 50, 24. & 25. Exod. 3, 16. c. 13, 19. ubi educio ex Ægypto vocatur visitatio. Job. 10, 12. *visitavit & beneficentiam fecisti mecum, & visitatio tuâ custodit spiritum meum.* Job. 29, 4. *quando faciebat Deus ἐπιστοπέω μοι.* Esa. 24, 22. *post multos dies visitabuntur, i. e. liberabuntur.* Jer. 29, 10. ubi liberatio ex captivitate Babylonica vocatur visitatio. Ezech. 34, 11. *ego inquiram oves dispersas, & ἐπιστοπέω.* Luc. 1, 68. *Visitavit & fecit redemptionem plebi suæ. v. 78. per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.* c. 7, 16. *Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitavit plebem suam, ubi missio Filii in carnem ad prædicationem Evangelii & redemptionem generis humani vocatur visitatio.* De posteriorē visitationis genere loquuntur hæc dicta, Ex. 20, 5. *Ego sum Deus, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios.* c. 32, 34. *Visitabo super eos peccatum ipsorum.* Lev. 26, v. 16. *Visitare faciam super vos terrorem & pestem & corporis inflationem.* Num. 16, 29. *Si visitatione omnis hominis visitabitur super eos.* Esa. 10, 3. *Quid facieris in die visitationis*

& desolationis? Eodem modo usurpatur, Esa. 13, 11. c. 26, 14. c. 29, 6. Jer. 6, 15. c. 8, 12. c. 0, 15. c. 15, 3. Sophon. 1, 8. & c. Sap. 3, 7. & 13. c. 14, 11. Sirac. 16, 19. c. 18, 20. c. 23, 31. & c. Quidam igitur visitationem, quam Judæos non cognovisse, Christus conqueritur, accipiunt de posteriorē visitationis specie, quia Deus per varias calamitates, cum primis per abductionem in captivitatem Babylonicâ, eos visitaverat, & de serâ conversione admonuerat: sed rectius accipitur de priorē visitationis genere, quâ per missionem Filii erant à Deo peculiariter visitati, sicut exponitur, Luc. 1, 68. & 87. c. 7, 16. Sensus igitur est: prædicta mala omnia tibi propterea obveniunt, quod non agnovisti, adeoq; agnoscere nolueris tempus illud gratiæ & beneficentiæ, quo te visitavit Deus, missio Filio suo salutis autore & nuncio, per quem benedictionem, pacem & salutem tibi obtulit, ac doctrinam ejus illustrib⁹ miraculis confirmavit. Titus Bostrensis hoc loco *Visitacionis tempus illud vocat, quo ipse è cœlo de lapsus, urbem Hierosolymitanam visitavit, multa que inter visitandum divina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in ea paravit.* Theoph. ibid. *Tempus visitacionis, hoc est, mei adventus, quando veni, ut inviserem & salvarem te.* Euthymius, *Quia non agnovisti tempus curæ tuæ, tempus namq; peregrinationis meæ, erat tempus curæ salutis tuæ.* Emphasis autem in eo est, quod nō simpliciter vocat tempus, sed καίριον, comòdum & opportunum tempus, vel, ut Apóstolus loquitur, 2. Cor. 6, 2. καίριον δεκτόν, tempus acceptabile & diem salutis. Quidam in genere intelligunt de toto tempore antegresso, quo Deus populum Israëliticum in peculium sibi electum multis beneficiis affecerat; Verbi sui depositum illis concediderat, pacem & quietē concesserat, ipsorumq; conversionem expectaverat: sed in specie & peculiariter loqui videtur de tempore proximè antegresso, quo per triennii integrum, & quod excurrit, in propria persona Evangelium ipsis prædicaverat, & plurimis miraculis, se promissum illum Messiam esse, confirmaverat. Hoc tempus, & hanc præsentis temporis gratiam debuissent agnoscere, hoc est, diligenter observare, ejus sedulam rationem habere, eodem ad salutē suâ rectè uti; sed hoc ipsum facere contemperunt, sicut etiam Luc. 12, v. 56. Christus eos hoc nomine accusat: *Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostris probare, & de καίριον, hoc tempus præsens visitacionis scil. vestræ, & regni DEI propinqui vobis facti, non observatis, nō exploratis, nec in bonum vestrū convertitis, cum tamen ab eo omnis vestra salus unice dependeat, illudque vel observatum, salutem; vel neglectum, exitum vobis afferat sempiternum.* Hoc ipsum Judæi postmodum re ipsa sunt experti. Cum enim nō agnoscerent visitationem gratiæ, quâ divinit⁹ visitabantur per verbi prædicationem, per beneficiorum collationē, per paternam castigacionem (quæ itidem adhuc est visitatio gratiæ,) per prodigiorū exhibitionem; ideo secuta fuit tandem visitatio iræ, quâ & locus, id est, universa regio, & magnificum Hierosolymæ templum, & populus fuit deletus, sicut Caiphas inscius vaticinatus fuerat, Johan. 11, v. 50. De hac visitatione Daniel, cap. 9. vers. 26. prædixerat, quod finis ejus futurus in inundatione; & Paulus, 1. Thess. 2, 16. pervenit ira Dei super illos usque in finem. Quod ergo Christus dicit, Hierosolymam non agnovisse tempus visitacionis suæ, eundem omninò sensum habet cum eo, quod superius

rius dixerat, ipsam non agnovisse ea, quæ sunt ad pacem. Deus obtulerat huic urbi, id est, ejus incolis & universo populo Judaico, gratiam & salutem, quæ pacis nomine utraque comprehenduntur; miserat ad eos complures Prophetas, ac tandem dilectum suum Filium, Matth. 21, 34. & 37. per horum prædicationem, exhortationem, comminationem, ut & per variorum beneficiorum accumulati-
onem, invitaverat eos ad seriam conversionem: sed hanc Dei gratiam, & commodam salutis occa-
sionem, ipsi noluerunt agnoscere, occiderunt non solum Prophetas, sed & ipsum Christum, Dei Filium, & Apostolos persecuti sunt, 1. Thess. 2, 15. obstinate ac pertinaciter in sua impenitentia, se-
curitate & malitia perstiterunt; ac proinde, quia visi-
tationem gratiæ agnoscere noluerunt, iusto Dei
iudicio visitationem iræ sunt experti. August. lib.
1. de conf. Evang. cap. 12. *Pro gravissimo scelere occisi
Christi Iudei, ex ipsa Hierosolyma, quæ erat regni ipsorum
caput, penitus eradicali, & Romano Imperio subjugati sunt.*
Orsius in Hist. *Quia Iudei impii existerant in Patrem
& Filium; ideo patri, Vespasiano, & Tito, filio, meritò
exterminandi fuere traditi.* Huc pertinet enim illa
observatio, quod circa idem anni tempus, videli-
cet circa festum azymorum, à Judæis occisus fuit;
quodq; Romani, eodem fere in loco, videlicet in
monte oliveti, castra ponere cœperint, in quo
Christus visæ urbis excidium desleverat, ut om-
nes admonerentur, causam excidii præci-
pua in supino contemptu, & iniquissima
occisione Messæ, esse quærendam. Quidam ad-
dunt, quod obsidio tanto tempore duraverit,
quanto salutem & gratiam Christus in prædica-
tione Evangelii huic populo obtulerit, videlicet
tribus annis cum dimidio: Sed hoc Historica de-
scriptioni non satis congruit. Josephus enim, qui
omnium exactissime obsidionis Historiam descri-
psit, eam 14. Aprilis inchoatam, & 8. Septembris,
ejusdem anni, solutam esse, memorat. Illud verò
certum est, quod eodem die, decimo scilicet Augu-
sti, à Tito civitas fuerit expugnata, quo olim ante
captivitatem Babylonicam à Chaldæis urbis &
templi devastatio erat facta, unde dies iste Judæis
semper fuit infaustus ac lamentabilis, in quo Thre-
nos Jeremiæ decantare solebant, quo ipso admo-
niti fuere, finale & ultimum excidium illis propter
ea obtingere, quod per Babylonicæ captivitatis
castigationem noluerint emendari. Apparet igitur,
ex hac causæ declaratione, ab ipso Christo
subjecta, causam excidii Hierosolymitani, & de-
letionis totius populi Judaici, nequaquam quæ-
rendam esse in absoluto quodam Dei decreto, sed
in Verbi divini & Messæ contemptu. Christus instar
sponsi visitaverat populum Judaicum, tanquam di-
lectam suam sponsam; instar pastoris, suas oves; in-
star Medici, ægrotum; instar benignissimi Regis,
subjectum suum populum: sed ipsi, velut sponsa
adultera, insurgere adversus sponsi; oves Israel,
quæ perierant, ovile intrare volebant; ægroti consi-
lium & curam Medici admittere recusabant; subditi
adversus Regem suum arma capiebant: ex quo ni-
hil aliud, quam excidium & exitium consequi po-
terat. Quidam ex veteribus huc accommodant typum
Josephi, Gen. 37, 13. & seqq. Is mittebatur à patre Ja-
cobo ad visitandos suos fratres, ipsi verò acerbissi-
mo adversus eum odio flagrantem fratrem suum

occidere cogitabant: pari ratione Christus, dile-
ctissimus Dei Filius, ad visitandos Judæos, suos se-
cundum carnem fratres, à Patre cœlesti mitteba-
tur: ipsi vero odio & invidiâ impulsus violentas
manus in ipsum iniecerunt, cujus nefarii sceleris
pœnas Deo dederunt sceleris suo dignas, easque
longè gravissimas. Agnoscamus proinde, contem-
tum Verbi divini & Messæ esse peccatorum om-
nium fastigium, & præsentissimum secum tra-
here exitium. In reliquis peccatis adhuc venia
potest esse locus, quia per Verbum eadem arguun-
tur, & homines ab iis ad justitiæ studium revocan-
tur: sed verbum repudiare, & ut Christus hic loqui-
tur, *visitationis tempus non agnoscere*, est omnium
peccatorum gravissimum, ac tantum omnino
peccatum, ut in eo nulla amplius spes salutis re-
linquatur. Bruta animalia dicuntur *agnoscere tempus
suum*, Jer. 8. v. 7. *Etiã ciconia in celo cognovit tempus
suum, & turtur, & grus, & hirundo custodierunt tempus
adventus sui: brutis igitur pejores sunt, qui tempus
visitationis suæ non agnoscunt*, sicut ibidem de
populo suo Deus conqueritur: *& populus meus non
cognovit iudicium Domini.* Hominem, in morbis vel
aliis adversis nos visitantem, benignè excipimus,
fores ei recludimus, consilium ejus admittimus,
pro visitatione gratias ei agimus: quanto majore
honore ac reverentia Deus ipse per Verbum & per
varia beneficia nos visitans est excipiendus? *Ecce,
stat ad ostium, & pulsat, nostrum est, vocem ejus audire,
& januam aperire, ut ad nos intrare possit*, Apoc. 3.
v. 20. Si gratiam visitantis neglexerimus, metuend-
um erit, ne per Tyrannos & hostes nos visiter.
Quamvis enim illi non cogitent, se esse instru-
menta Dei, in ira homines visitantis, sicut Roma-
ni nihil tale cogitabant, ut contemptum divinæ vi-
sitationis ex gratia factæ, & Christi mortem, ulci-
scentur, nec Nabuchodonosor cogitabat, se esse
Dei servum, Jer. 25. v. 9. nec Rex Assyrius, se esse
virgæ furoris Domini, Esa. 10. v. 5. tamen, cum
absque divina permissione hostes quantacunque
potentiæ præditi, & quantolibet furore impulsus,
adversus Dei populum nihil quicquam possint; id-
eo per illos Deus nos visitare recte dicitur, sicut
Esa. 10. v. 6. de Rege Assyrio Dominus pronun-
ciat: *Ad gentem impiam mittam eum, & super populum
furoris mei mandabo ei, v. 7. & ipse non sic existimabit,
& cor ejus non ita putabit, sed ad perdendum erit cor ejus,
& ad excidendum gentes non paucas.* Atque hæc est
principalis doctrina, ex prædicatione excidii Hie-
rosolymitani petenda. Pii veteres hanc Christi
concionem mysticè ad mortem hominis, tum
spiritualem, tum corporalem, accommodant.
De priore mortis genere sic loquitur Orig. homil.
38. in Luc. *Nos sumus Jerusalem, quæ dessetur. Quod si
post mysteria veritatis, post sermonem Evangelii, post do-
ctrinam Ecclesiæ, post visionem Sacramentorum ejus ali-
quis à nobis peccaverit, plangitur atque stetur. Nemo enim
gentilis stetur, sed ille, qui fuit de Hierosolyma,
quod post peccata circumdant eam inimici, contraria
videlicet fortitudines spiritus nequam, & immittant in cir-
cuitu ejus vallum, & obsideant eam, & lapidem super lapi-
dem non relinquunt, maxime, si post multam continentiam,
post aliquot annos castitatis, victus quis fuerit, blandimen-
tisque carnis illectus patientiam pudicitiamque ami-
serit. Si fueris fornicatus, lapidem super lapi-
dem non relinquunt, ait enim in alio loco, non recor-
dabor justitiarum ejus priorum.* De posteriore
mortis

mortis genere interpretatur Gregor. homil. 39. in Evang. *Maligni spiritus animam à corpore exeuntem obsident, quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis coarctant. Super lapidem lapis non relinquitur, quia omnis ab anima cogitationum suarum constructio dissipatur, Psalm. 146. versic. 4. Quemadmodum ergo civitas, quæ obsidionem expectat, totis viribus ad eam sese*

præparat: ita & nos, adversus terribilem illam mortis obsidionem, omnibus necessariis animam nostram instruamus & muniamus. Agnoscamus tempus visitationis nostræ, quæ Deus per Verbum, exterius; & per impulsum Spiritus sancti, per sanctas cogitationes, & bonum propositum, interius nos visitat, ut, pace cum Deo mature in ita, in media morte conservemur, & ad regionem pacis, gaudii & felicitatis transferamur.

CAPUT CXLVI.

CHRISTUS HIEROSOLYMAM INGREDITUR,
ET TEMPLI REPURGATIONEM INSTITUIT.

MATTH. 21. V. 10. MARC. 11. V. 11. LUC. 19. V. 45. JOH. 12. V. 19.

RATIO ORDINIS.

Prædictioni de miserabili urbis excidio, Lucas statim subiicit ingressum Christi in templum, ac repurgationem templi magno zelo ab ipso susceptam, quæ connexionis series utilem præbet observationem. Quia enim in prædictione excidii Hierosolymitani continetur etiam prædictio de totali & fundamentali everfione templi; ideò Christus, hac templi repurgatione, prædictionem illam immediatè subsecutâ, causam manifestare voluit, propter quam magnificum & augustum illud ædificium, in quo tot sacrificia hæcenus Deo oblata, tot cultus divini exercitia peracta, tot hominum piorum conventus instituti, de quo etiam tam præclaræ extant promissiones, ab imis sedibus dirui & everti debeat, videlicet, quia per corruptelas doctrinæ, & impietatem Sacerdotum factum erat spelunca latronum, cum ex divina institutione deberet esse domus Dei, & domus orationis. Præfigurare insuper voluit, hac ementium & vendentium à templo ejectione, totum populum Israeliticum è templo, & è regione sua, per Romanos expellendum esse, si in peccatis suis, præsertim in contemtu Messie perrexit. Sed ex Matthæo manifestum est, repurgationi templi præmittendam esse commotionem civitatis in ipso urbis ingressu factam. Cum enim templum in monte Moriah situm fuerit, aliquid usque in urbem Christum prius progredi oportuit, antequam in templum ascenderet. Sane, eo tempore, quo Abraham ex Dei mandato filium suum Isaacum in monte *Moriah* immolare parabat, Gen. 22, 2. erat mons iste extra complexum Hierosolymæ, *Jebus* & *Salem* olim dicta: sed, progressu temporis, cum Rex David Jebusitis ex urbe pulsus, pomœria ejus extenderet, & in monte Sion domum regiam extrueret, montes *Moria* & *Acræ* in gremium urbis recepti, & mœnibus cincti fuerunt, unde non nisi per plateas quasdam urbis ad templum ingressus patuit, quo pertinet, quod Marcus notanter dicit: *Et introivit Iesus in Hierosolymam, & in templum;* prius scilicet in Hierosolymam; postea in templum, in Hierosolymæ mediotullio situm. Sunt, qui prædictioni de urbis excidio immediatè subjungunt ea, quæ de Græcis Christum videre cupientibus apud Johannem sequuntur. Statuunt igitur, concionem

illam, quam in parte posteriore cap. 12. Johannes commemorat, non fuisse à Christo habitam in templo, sed in via, cum ex monte oliveti descenderet, & urbem versus progrediretur. Hæc sententia pulcrum exhibet observationem, quod Christus in regalis sui ingressus pompa, & in medio populi gratulantis & exultantis triumpho, proposuerit sibi ante oculos gravissimum agona, quem circa ipsum illum locum, in monte oliveti, post dies non ita multos, subiturus esset, inque eo cum tota infernalium hostium phalange manus quasi conferturus. Quare, cum omnes ipsi de regno gratularentur, ac lætis jubilantium vocibus omnia perstreperent, ipse Spiritu turbatur, ac dicit: *Nunc anima mea turbata est, v. 27. nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras, v. 31. & ego, si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipsum, versic. 32.* quasi dicat: constabit mihi regnum meum magno labore & precio, dura mihi sustinenda prius erit provincia, pugnandum erit cum principe hujus mundi usque ad sanguinis profusionem, quorum omnium prævisione anima mea turbatur & contristatur, sicut etiam postea in orto circa montem oliveti dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem, Matth. 26. v. 38.* Posset etiam huic sententiæ probabilitas quædam conciliari ex eo, quod gentiles non fuerint in templum admissi, ut potuerint hanc concionem à Christo in templo docente audire, quia Act. 21, 28. Judæi inter alia accusationis capita Paulo hoc objiciunt, quod Græcos, sive gentiles introduxerit in templum, ac violaverit locum istum sanctum, v. 29. viderant enim Trophimum Ephesum in civitate cum ipso, quem existimaverant in templum à Paulo introductum. Item, quod Christo orante: *Pater clarifica nomen tuum, venerit vox de cœlo: Et clarificavi, & iterum clarificabo, versic. 28.* ex eo enim intelligitur, contigisse hæc non sub templi fornice, sed sub dio, ut vocem illam cœlitus delatam astantes audire potuerint. Posset denique hæc referri, quod *turba multa, que venerat ad diem festum, cum ramis palmarum Christo obviam processisse* dicatur, versic. 12. cogitari igitur poterat, turbæ isti intermixtos fuisse hosce Græcos, quos Christi videndi cupidos fuisse, Johannes commemorat, eosque, in ipsa processione versus urbem, hoc desiderium suum Philippo exposuisse, quâ occasione, Christus totam illam concionem, ante suum in urbem ingressum, ad discipulos & turbam habuerit.

Sed